

www.e-rara.ch

**Purpura Docta, Seu Vitæ, Legationes, Res Gestæ, Obitus, Aliaque Scitu,
ac Memoratu Digna, &c. S.R.E. Cardinalium, Qui Ingenio, Doctrina,
Eruditione, Scriptis, Libris editis, & Elucubrationibus ...**

**Eggs, Georg Joseph von
Francofurti, Anno MDCCX**

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-74380>

Anno 1342.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Scriptissè perhibetur nonnulla Poëmata , ipsi Petrarchæ laudata. Sermones item & Hymnos sacros, stylo, ut illa ferebant tempora, satis eleganti.

Ejus meminere Parvinius in Vitis Pontiff. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Raynaldus in Annal. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. purp. Waddingus in Annal. Minor. Petrarcha in Epistolis. Ugbellius in addition. ad Ciaconium, & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

AYMERICO DE CASTROLUCI
S. R. E. CARDINALE.

AYMERICUS de Castroluci, natione Gallus, patriâ Lemo-
vicensis, Clementis VI. Pontificis Maximi propinquus,
Juris tum Pontificii tum Cæsarei Doctor illustris, Ar-
chidiaconus primò in Ecclesia Turonensi, mox Triumvir
Ferrariæ in temporalibus, & Æmiliæ Rector, demùm Archiepisco-
pus Ravennatensis, & Carnotensis Episcopus in Galliis, ob excel-
lentes animi dotes, doctrinam, & merita à Clemente VI. Presby-
teris Cardinalibus titulo SS. Silvestri & Martini in montibus anno
salutis 1342. adscriptus, statim ab adeptâ Purpurâ in Italiam, ad
continendas in officiò ditionis Ecclesiasticæ Provincias, quæ cre-
bris dissensionibus fluctuabant, Legatus est missus. Quo munere
egregiè perfunctus, mox aliam ejusdem Pontificis jussu legationem
in Etruria, Sardinia, & Corsica obeundam suscepit, quæ eò maxi-
mè collimabat, ut sopitis discordiarum ignibus, salubri fœdere co-
pularet Italiæ Provincias ad propulsandos hostiles Ludovici Bavari
conatus, qui obtentò Tyrolis Comitatu, belli facem injecturum
Italiæ partibus minabatur : utque ad pristinum splendorem revo-
caret religionem Catholicam, quæ in multis partibus ob enatas
hæreses & schismata, labefactata multùm defloruerat. Utrumque
præstitit Aymericus ex voto Pontificis, magnam inde nominis
sui famam adeptus.

XLIV.

*Cardinalis
creatus, va-
riis legationi-
bus cum lau-
de fungitur.*

Defuncto paulò post Roberto Rege Neapolitano, ut Regno Re-
ctore viduato consulere Clemens, ac Jura Ecclesiæ Romanæ facta
tecta tueretur, Edicto pronunciavit, Regiæ Siculiæ procuratio-
nem non ad Sanctiam Reginam viduam, aliosque à Roberto Rege
supremis Tabulis designatos; sed ad Sedem Apostolicam pleno
jure spectare. Hinc omnia ab iis in contrarium gesta rescidit; at-
que Aymericum Cardinalem administrando interim Regno, pon-
tificio nomine præfecit, donec Joanna Regina adhuc juvenula
fortiorem ætatem attigisset. Joannæ tamen levitas, & pravorum
Ministrorum temeritas initio se se pontificiis Decretis opposuit.
At paulò post instante acrius & monitis & censuris Clemente per-
territa Legatum recepit, & die 28. Augusti, anno 1344. coram illo

*Neapolitano
Regno, Eccle-
siæ nomine
administran-
do, præfici-
tur.*

*Joanna Regi-
na Neapoli-
tana in ordi-
nem redigi-
tur.*

Coronam liberalitate Sedis Apostolicæ in se translata agnovit, ac fidelissimæ clientis obsequia tum Clementi, tum futuris ejus Successoribus, interpositô fidei sacramentô, spopondit. Ad cujus rei commendandam secururæ ætati memoriam publicas tabulas edendas curavit, quas refert, & exhibet in vita Aymerici Cardinalis Augustinus Oldoinus.

Ad importunas postmodum Joannæ Reginae preces permotus Pontifex Aymericum Legatum revocavit, relictis Joannæ ex integro Regni habenis. Cum verò illa vanitatibus potius, quam Regni curæ dedita opes regias, contra Apostolica imperia, ac Regni jura dissiparet, Pontifex periclitanti Regno consulturus, factas à Regina post obitum Roberti donationes convulsit, & Aymerico Legato nova imperia dedit, ut Edicta, quæ è re pontificiâ forent, in Regno, Regniq̄ue finibus divulgaret. Qua occasione etiam Hæreticos quosdam, Reginae oscitantiâ impunè in Regno grassantes in jus vocavit, quæstioni admotos, ac convictos meritis pœnis affecit.

Legatus Romanam ad sedandas Niccolai de Rentio turbas mittitur.

Nicolaus de Rentio quis? & unde?

Ejusdem arrogancia.

Nicolaus fastu tumens Legatum male habet, eundemq̄, urbe excedere compellit.

His peractis jussus est Aymericus, relictâ Neapoli, Romam accedere ad sedandas periculosas seditiones, quas excitaverat Nicolaus de Rentio, homo ex argilla, lutoque (ut ait Ciaconius) confectus. Natus enim erat Romæ patre popinario, matre vero lotrice, & aquæ bajulâ: qui tamen populum suis artibus cicuratum usque adeò dementavit, ut ad deferendam sibi Tribunitiam potestatem facillè compulerit. De quo laudatus Ciaconius in vita Clementis VI. ita scribit: *Interim Romæ creandorum ex Auctoritate Apostolicâ commutatâ ratione, Nicolaus Rentii, seu Laurentii filius, Romanus, publicus scriba, vir quidem erecti ad libertatem, excelsiq̄, animi, occupatò armis Capitolio, tantum sibi auctoritatis & benevolentia apud omnes comparavit, ut facillè quò vellet Populi Romani mentem fleçteret. Is autem quo magis hominum animos commoveret, hoc titulo usus est: Nicolaus severus & clemens, libertatis, pacis, Justitiæque Tribunus; ac sacrae Romanæ Reipublicæ liberator illustris. Hâc autem verborum pompâ tantam de se admirationem, opinionem, & terrorem concitavit, ut omnes Italici nominis Principes certatim per Legatos pacem ac amicitiam ab eo petierint.*

Ad hujus igitur seditiosas molitiones, seu potius immanem tyrannidem comprimendam (namque præter rapinas bonorum, deflorationes virginum, matronarum stupra, conjugum adulteria, expilationes templorum, civium cædes, infontem quemlibet Nobilium, quo imperium malè partum stabiliret, ferro & fune sustulerat) missus Romam Aymericus Cardinalis Legatus in Vaticanum Palatium concessit, ubi pro tribunali sedens, pontificio nomine Nicolao Tyranno diem dixit. Venit ille, non ut reus, sed imperatoriô paludamentô, & Dalmatica gemmis & aurô ornatâ indutus, virgam chalibæam manu ferens. Præsonabant illi tibicines præcedentes; stipabant latus armati pedites gladiis exertis viam aperientes; comitabantur numerosâ frequentiâ Nobiles, parasiti, Ministri, & famuli ad servitia & pompam faciendam destinati. Nicolaus torvo vultu Aymericum Legatum intuens, hoc eum convitio alloquitur: *Perfrita frontis homo, quid tibi rerum est mecum? Temerarie, quid me audaciâ insigni in jus vocas, responde?* Cardinalis ad tantam

tam hominis insolentiam nonnihil perterritus, *habeo*, inquit, *imperia, quæ summi nomine Pontificis tibi denunciem*: Nicolaus in furorem actus, ac sermonem interrumpens: *à quo*, inquit, *Pontifice? Neque enim Pontificem ego, neque pontificium agnosco Legatum: quin te ocyùs hinc proripe, ni malis hostia vindicta Nicolai cadere.* Coactus est Cardinalis è conspectu se furiosi subducere, atque tempori ad tempus servire, videns hominum vesanum, militibus cinctum, & exitium minitantem. Româ igitur in tutiorem locum secedens, dirum anathema illi dixit, à Luca Sabellio & Sciarra Columna animatus. Ex eo tempore sensim evuluit apud Romanos fucata Nicolai gloria. Nam dum parti civium studere, parti adversari aggreditur, utrique suspectus, repente ex Patrono Tyrannus, ex liberatore patriæ proditor est habitus; eapropter, adnitentibus Pontificis fautoribus, tanquam perduellis & Reipublicæ Turbator ad necem quæsitus. Ille insidias odoratus, septimo Magistratûs sui mense, ignaris omnibus, mutata veste per obscuram noctem Româ abiens, in Boëmiam ad Carolum Cæsarem (quem Clemens Pontifex paulò antè ob linguarum, literarumque peritiam in exauçtorati Bavari locum ab Electoribus in Cæsarem designari fecerat) profugit. Captus itaque à Carolo Tribunus, & Avenionem missus, Pontifici ad arbitrium dono datur. At Pontifex, retento eo in vinculis, duos cum Aymerico Legato Cardinales Romam misit, qui urbis statum recognoscerent, recognitum ad justitiæ, frugalitatis & temperantiæ leges componerent. At quos Petrarcha scribens, eis suadet, ut ad tollendam seditionem Senatores ex populo Romano eligerent, eosque urbis moderandæ regimini imponerent, cum non satis constaret in ipsa urbe qui Senatorii, quique plebei ordinis essent, cum omnes fere peregrini essent, & ignotis parentibus orti. Declarati itaque Senatores sunt Petrus Sciarra Columna, & Joannes Urli filius, viri prudentes, nobiles, impigri, armis & opibus validi, qui eliminatò Nicolao discordes populos facili negotio concordârunt, atque in ordinem redegerunt.

Non erit abs re breviter hoc loco referre, quæ de Nicolai Renti Tyranni progressu & interitu apud Andream Victorellum in vita Clementis VI. in additionibus ad Ciaconium, & apud Abrahamum Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1353. n. 2. adnotata invenio. Sic habent: Nicolaus ab Aymerico Cardinale anathemate percussus, Româ diffugiens Pragam ad Carolum Boëmiæ Regem (electum tum Imperatorem) concessit. Deinde non captus à Carolo, neque missus, sed volens sponte Avenionem, Pontificem allocuturus, se contulit. Ibi in carcerem coniectus, causamque suam dicere iussus, tantâ verborum facundiâ, tantis apparentium rationum coloribus, etiam perjurio firmatis, innocentiam (quæ nulla verâ erat) apud credulum Pontificem adstruxit & tutatus est, ut planè, nemini dubio relicto, mortalium omnium innocentissimus crederetur. Quocircâ publicis tabulis, versipellis impostor, insons declaratus, liberque dimissus cum omnium admiratione rediit in Italiam: ubi à Legato Apostolico, exhibitis innocentiae suæ tabulis decepto, Senator Romanus constitutus, Romamque cum ingenti ar-

Nicolaus excommunicatur vilescit, & urbe pellitur.

Fugit in Boëmiam ad Carolum Cæsarem.

Aymericus Roman mittitur, Senatores constituit, & urbis statum componit.

Nonnulla alia de Nicolao tyranno afferuntur.

Innocentiam suam perjurio adstruit, liberque dimittitur.

Urbis Senator declaratur, & à populo summo cum honore excipitur.

morum & gloriæ apparatu missus, Pontificis & Ecclesiæ nomine senatorio illo munere fungebatur.

Ad urbem cum accederet, quasi alter Scipio incredibili plausu & lætitia popularium, olivarum ramos præferentium, & *Benedictus qui venis* conclamantium exceptus per arcus triumphales in adventum illius erectos, & plateas floribus stratas, aulæisque præciosius ornatas usque in Capitolium præcinentibus musicis, & tubis præsonantibus deductus, Tribunitiam iterum dignitatem usurpavit. Aditò hoc modo imperiò, cum sensim ad consueta libidinum flagitia, adque ipsam tyrannidem proculcatâ omni justitiâ & æquitate desisteret; ac insuper ad extorquendam ingentem pecuniæ vim, qua imperium stabiliret, intolerandum Romanis omnibus vestigal imposuisset, præciâque rerum omnium vænalium, quò plus æris emungeret, mirum in modum auxisset, maximum odium apud populum Tyranni crudelitatem mille convitiis detestantem incurrit. Offenderat etiam ea res, præter populares, primarios urbis senatores & nobiles, à quibus maximam auri summam ad solvenda militibus stipendia per summam injuriam perurgebat; non obsequentes, aut etiam obloquentes in carcerem compingebat, nullâque aliâ interveniente causâ tanquam seditiosos & refractarios publicatis eorum bonis vel proscribebat, vel capite imminuebat.

Tyrannidem ut antea exercebat, populo odibilis redditur.

Panastulciû Guidonem familiarem suum occidit.

Audax, temerarius, varius, & inconstans.

Conspiratio populi in Tyrannum.

Hujus rei ad instantiam populi à Panastulcio Guidone familiari suo Nicolaus admonitus, atque, ut porrò mitius cum Romanis ageret, rogatus, in furias actus hominem è vestigio jugulari jussit. Sed eâ crudelitate in populum emanatâ, magis exulceratorum animos commovit atque irritavit: quòd proditorem, qui ne ab amicis sibi temperaret; & tyrannum impotentem; qui æquè in fontes, atque in fontes grassaretur, vociferarentur. Inerat Nicolao audacia summa & temeritas cum inconstantia conjuncta. In loco consilii obtinebat omnem suam voluntatem, nullo consiliario contradicente. In uno eodemque instanti ridens plangebat, & emittens lacrymas ac suspiria ridebat. Tanta fuit homini varietas, & mobilitas voluntatis. Promittebat plurima, sed nihil eorum, quæ pollicitus fuerat, præstabat. Unde & populus omni ære emunctus annonæ caritate laborabat; & pedites ac equites Regionarii, quos excubitorum loco collocaverat, nullis receptis stipendiis, omnes promiscuè injuriis, rapinis, ac contumeliis afficiebant.

Igitur intoleranda ea calamitas visa est omnibus, se se invicem vel ad necem, vel ad libertatem privatim ac publicè cohortantibus. Quamobrem ad octavum diem Septembris anno salutis 1353. (conventibus maximè Columniis) summo diluculo tumultu excitato, ad conclamationem *Vivat populus, moriatur tyrannus*, cum innumerares armati confluxissent, Nicolaum nil tale suspicantem horrendis clamoribus ad necem postulârunt. Ibi miser, diffugientibus passim præsidiariis, mentis, opis, & consilii inops, quo se verteret nescius, tandem vexillum Populi Romani manu arripiens, populum è loco editiore Palatii alloqui ausus, nonnisi convitia, lapides, lutum & sagittas accepit. Erant aliqui, qui ignem portæ Capitolinæ admoverant, ut vel vivum exurerent tyrannum, vel exeundi

necef-

necessitatem illi imponerent. In quas angustias coniectus infelix, armis ac vestibus speciosis depositis, personatus effugere decrevit; barbam, quam prolixam gerebat, totondit; vultum atro colore tinxit; vestem sordidam semique laceram induit, & capiti gausape imposuit; ad eum modum toto corpore immutatus, deformatusque, ne agnosceretur, palatio exivit. Non tamen circumdantes (ultore Deo) his artibus fallere potuit, quamquam voce inconditâ *ut occideretur tyrannus, & viveret populus conclamaret.* Nam unus aliquis eum ex indiciis levissimis cognoscens, elato clamore *hic tyrannus est, occidatur,* populo indicavit. Populus nihil cunctatus illum, qualis erat, misericordiam altum implorantem inter medios leones marmoreos, quo in loco plurimum sanguinem crudelis fuderat, duxit. Ubi cum pro spectaculo ad ludibrium universorum horam unam palo alligatus stetisset, & frustra veniam, ac vitæ gratiam postulasset, Ceccus Vecchius nobilis Romanus accedens, exerto pugione miseri præcordia confodit: mox alius nonnemo e populo accurrens, gladio vel conto jam jam animam agentem crebris repetitis ictibus ita confixit, ut vulnere deinceps infligendo nullus superesset locus, cum adinstar cribri ex vulnere multitudinem (ut inquit Bzovius) corpus exanime pateret.

Populum personatus fallere, & diffingere conatur.

Agnitus miserandum in modum occiditur.

Ab eo deinde loco usque ad sancti Marcelli Basilicam exangue cadaver raptarunt, & revulso à busto capite, semilacera membra pedibus cuidam infami ligno appensa omni contumeliæ genere affecerunt. Duos integros dies, & unam noctem pependit, Judæorum quoque opprobriis expositum; qui fasciculis lignorum, carduorum, & sentium congestis, illato igne tandem illud exusserunt, & cineres mille diris devotos in profluentem, ne quid ex tali monstro superesset, projecerunt. Atque hunc finem sortitus est Nicolaus de Rentio, qui si intra fortunæ suæ modum se continuisset, tam tragicum exitum nequaquam incurrisset: exemplo iis præsertim attendendo, qui vel in Petram soliditatis æternæ incurrunt, vel tyrannidem arripere præpostero vulgi favore exambiunt. Sed jam ad residua Aymerici Cardinalis enarranda revertamur.

Ex animo in furcam agitur, contumeliis afficitur, ac denique comburitur.

Is Legationibus multis insignis vitæ finem fecit Carnuti in Gallia die 7. Martii æræ christianæ 1349. quadriennio ante Nicolai tyranni interitum: sepultus in Ecclesia principe ejusdem urbis, in qua nobile Sacellum Divo Petro sacrum, dum viveret, construxit, atque duodecim canonicatus ad rem divinam splendidius peragendam erexit. Erat Aymericus vir doctrina, rerum peritia, pietate & omni virtutum genere celebris: doctorum virorum cultor eximius, scriptis plurimis cum sacris, tum prophanis clarus, quorum nonnulla fragmenta inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ asservantur, & laudantur: Francisco Petrarchæ, eruditorum ea tempestate virorum delicio, singulari amicitiae nexu conjunctus.

Aymerici obitus, & magnificentia.

Ejus laus, & Scripta.

Narrant aliqui, at non satis firma fide, facetum olim Poëtam viventi Aymerico obtulisse libellum supplicem, alicujus doni obtinendi gratiâ; & in eum finem versus quosdam panxisse mirò artificio elaboratos, qui, si supplicationi annueret Cardinalis, in laudem ejus legebantur: sin repulsam pateretur, retrogradò ordine

lecti, eidem in dedecus & vituperium cederent. Sunt autem hujus tenoris :

*Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.*

Pauperibus tua das, nunquam stat janua clausa.

Fundere res quæris, nec tua multiplicas.

Conditio tua sit stabilis, non tempore parvo

Vivere te faciat hîc Deus omnipotens.

*Ingeniosum
carmen, non
Aymerico,
sed Clementi
VI. inscriptum.*

Hi versùs, quemadmodum recto ordine lecti mirè Cardinalem à virtutibus commendant, sic inverso ordine repetiti, meris convitiis eundem infamant. Ordiamur à calce, ascensuri ad caput:

Omnipotens Deus hîc faciat te vivere parvo

Tempore, non stabilis sit tua conditio.

Multiplicas tua; nec quæris res fundere, clausa

Janua stat, nunquam das tua pauperibus.

Eximium decus hoc fecit te scandere rerum

Copia, non virtus: fraus tua, non tua laus.

Verùm non Aymerico Cardinali inscripta hæc esse carmina, sed Clementi VI. Romano Pontifici Auctores sunt Abrahamus Bzovius, & Augustinus Oldoinus in vita Clementis: quibus proinde, utpote Scriptoribus accuratissimis, potiùs, quàm minus peritis ad hærendum censeo.

Ejus mentionem faciunt Hieronymus Rubéus in Historia Ravennatensi. Frizonius in Gallia purp. Parvinius in vitis Pontif. Aubery in vita. Raynaldus in Annal. Contelorius in Elencho Cardinal. Bzovius in Annal. Stephanus Baluze in Antifrizonio. Ugbellius in Italia sacra. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GUIDONE DE BOLONIA S. R. E. CARDINALE.

XLV.

*Nobilissimæ
Vir profapiæ.*

GUIDO de Bologna, perperam à nonnullis de Morteforti dictus, natione Gallus, Roberti hoc nomine Tertii Comitis Bononiæ & Arvernæ, cognomento Magni; & Blanchæ primogenitæ Roberti Comitis Claramontani, ultimi filii S. Ludovici Galliæ Regis filius, & Propatruus Roberti de Gebennis Cameracensis Episcopi, postea Clementis VII. Antipapæ, de quo infrà n. 66. plurima dicturi sumus.

*Variis digni-
tatibus ac
denique pur-
purâ orna-
tur.*

Guido ab ineunte ætate ingenuè, pieque ad exigentiam nobilissimæ profapiæ educatus, confecto Parisiis studiorum curriculo, Doctor Theologiæ insignis evasit. Procedentibus annis, urgente meritorum cumulo, virtutumque suffragio renunciatus est primò Episcopus Tornacensis, deinde Cameracensis, ac demùm Archiepiscopus Lugdunensis. Malè à quibusdam asseritur Bononiensis Antistes,

tistes, cùm neque in ferie Bononiensium in Italia Episcoporum reponatur; neque Bononia Gallia, tunc temporis esset Civitas Episcopalis. Tornacentis Episcopus affuit Synodo Sylvanectensi, celebrata sub annum salutis 1317. ab Archiepiscopo Rhemenfi Roberto de Courtenay, in qua excommunicati fuere omnes Domini temporales, qui contra jus fasque spiritualia invaserant, & bona temporalia Ecclesiasticis adempta retinuerant.

Anno 1342. adscriptus est Guido à Clemente Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliae; exinde renunciatus Episcopus Portuentis, legationis munere functus est ejusdem Clementis jussu in Hungaria ad Ludovicum Regem, arma in regnum Neapolitanum anno 1349. moventem. Attingebat Guido Cardinalis propinquitate sanguinis Hungari Regis uxorem, eandemque Caroli Romanorum Regis filiam. Hinc eò missus, non difficulter pacis negotium cum amico Rege transacturus sperabatur. Causa legationis erant gravissima discordia ob cædem Andreae Regis Neapolitani in Regno exorta: quas paulò altiùs ad rei inrelligentiam ex probatis Auctõribus repetere non abs re judico.

*Legationis
munere ad
Hungariae
Regem fun-
gitur.*

Robertus Rex Neapolitanus absque stirpe virili decedens Joannam filiam, Andreae nepoti suo Caroli Regis Hungariae filio uxorem dederat; neapolim enim adolescens ex Hungaria illis diebus advenerat. Joanna dissolutae vitae foemina, hominem morosum, socordem, & injucundum perosa, parumque virilem experta, eum in urbe Aversâ per insidias fune appensum & strangulatum interemit; alterique fratrueli, cujus amoribus vivente etiamnum Andreae consueverat, nuplit. Is erat Ludovicus Tarentini olim Principis filius, nepos Roberti defuncti Regis, homo audax, impudicus, & ad quævis flagitia promptus, cujus potissimum artibus Andreas Joannae maritus enectus credebatur.

*Andreae Re-
gis Neapoli-
tani cædes,
enataq; ex-
inde bella &
incommoda
enarrantur.*

Ludovicus Hungariae Rex strangulati Regis germanus frater, tantum scelus ulturus, cum potentissimo exercitu in Italiam venit, primumque Sulmonenses ei resistere ausos adoritur. Sulmone post longam obsidionem expugnata potitus, Regnum deinceps facile occupat, fugientibus praesertim in Provinciam Narbonensem Joannae Reginae, & Ludovico ejus adultero. At verò cùm totâ Italiâ eo tempore saevissima peste laboraretur, Ludovicus Hungariae Rex, non tam à Clemente persuasus, quam lue in exercitum grassante coactus, relicto forti in quibusdam oppidis & arcibus praesidio, tertio ab ingressu mense in Hungariam revertitur. Regni Proceres Hungari Regis imperium pertæsi, cæsò ubique praesidiò, Joannae & Tarentino scribunt, ut Neapolim postpositâ omni morâ redeant. Illi Neapolitanorum fidem exploratam habentes, nihil cunctati, magnis itineribus Neapolim contendunt, à Regni Proceribus humaniùs quàm speraverant, & meruerant, suscepti. Ludovicus in Hungaria rerum edoctus, obque cæsum praesidium vehementer commotus, conscripto novo exercitu alteram expeditionem in Joannam parat. Clemens Pontifex periclitantibus Regni rebus consulturus, mox Guidonem Legatum in Hungariam ad Ludovicum mittit, rogatque ut omisso difficili praelio, pacis consilia praescriptis

ptis

*Ludovicus
Hungariæ
Rex cum Jo-
anna Regina
Neapolitana
pacificatur.*

ptis ad placitum legibus cum Joannâ ineat. Paruit Ludovicus, suorum maximè tumultu, qui in Italiam regredi renuerant, inductus; ad instantiam Legati Cardinalis cum Joanna Regina pacem his conditionibus sancit: ut Regiis titulis illa ornata Ludovicum Tarentini Principis filium, maritum suum adscitium his excluderet; illeque deinceps non Rex, sed Princeps dumtaxat Tarentinus vocaretur. Eâ verò mortuâ, Regni jus ad se suosque legitimos hæredes postliminiò devolveretur.

*Guido Lega-
tus Romam
missus quæ
gesserit?*

Rebus ita compositis, Hungariâ excedens Guido ad Curiam rediit, ibique usque ad annum Jubilæi sacrum 1350. permanfit. Illucescente verò sacro Jubilæi centenario, jussu Clementis Romam se contulit, ubi hortatu & operâ Annibaldi Cardinalis de Ceccano, Episcopi Tusculani (de quo suprâ n. 33. egimus) propter innumerabilem Peregrinorum ad urbem concursum; annonæ penuriam; luemque pestiferam dirè grassantem, quindecim dierum spacium, ad lucrandas indulgentias firmatum, ad octo dies contraxit. Ea re vehementer offensi Romani correptis armis seditiosum in Legatos concursum faciunt, parumque abfuit, quin à tumultuantibus ambo violarentur. Legati de salute sua solliciti, submissis clanculum literis fideissimos sibi quosque civium, confœderatorum, ac militum adjungentes, cum satis jam virium ad resistendum inconditæ multitudini haberent, in apertum prorumpunt, seditiosos circumstant, ac denique tumultum censuris & armis compefcunt. Exinde instituto in pacis perturbatores examine, quosdam proscribunt, quosdam in carceres compingunt, ac nonnullos publico capitis supplicio afficiunt, postquam urbem octo dierum intervallo Ecclesiastico interdictione subjecissent.

*Patavii cele-
bratâ Synodò
Corpus S. An-
tonii in Ec-
clesiam prin-
cipem trans-
fert.*

Menfe Majo anni ejusdem ab urbe discedens Guido Patavium se contulit, ubi ad perpoliendos Cleri, populi que mores, ac splendorem religionis tuendum Synodum celebravit: Eâ solutâ Divi Antonii Ulylipponensis sacra lypsana in amplissimam Ecclesiam pro sui nominis honore noviter extructam solemnî pompa, magnoque populi confluxu, transferenda curavit voti reus: morbo siquidem paulò antè affectus, ejusdem Sancti interventu, pristinam receperat sanitatem, ut refert Bartholomæus Pisanus his verbis: *Cardinalis Guido Episcopus Portuensis à morte per S. Antoninum liberatus, Apostolicus in Italia Legatus, ipsius translationem peregit: & caput in pulcherrimo tabernaculo de argento suis sumptibus factò locavit.* Hujus Translationis meminit etiam præter S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum Cursorum Historia.

*Legatione Hi-
spanicâ fun-
gens pacem
inter Petrum
Castellæ, &
Petrum Ara-
goniæ Reges
procurat.*

His peractis iter suum direxit in Galliam, quo in Regno legationis munere functus est primò cum Cardinale Talairandò (de quo egimus suprâ n. 37.) ad pacem inter Francorum & Angliæ Reges, qui internecinis odiis & præliis mutuò collidebantur, stabiliendam. Deinde jussu Innocentii VI. in Hispania ad conciliandos Petrum Castellæ, & Petrum Aragoniæ Reges. Hujus operâ in Hispania pax diu exoptata præconis voce his legibus proclamata: ut capta belli tempore oppida inter se justâ partitione restituerent: Vectigalia, portoria, & exactiones, durante bellò, in vecta, utrinque tolerentur.

tur. Arces, villæ, prædia, domus, aliaque id genus tempore belli occupata, justis Dominis incorrupta cum suis fructibus redderentur. Principes emerita militibus stipendia, ne subditis eò nomine molestiam exhibeant, quamprimum exsolverent. Moneta justis ponderis cuderetur, extranea & adulterina in nullo precio haberetur. Captivi absque pretio dimitterentur, neque pacta pro cujusquam liberatione pecunia exigeretur. Offensæ veteres, tam iis, qui in partibus fuerant, quam qui se quietos continuerant, remitterentur.

Pacificatâ ad hunc modum Hispaniâ, Regibusque concordatis, magnis donatus muneribus ad Pontificem rediit, sed illicò Italiam repetere iussus, Carolum Imperatorem hoc nomine Quartum (qui tum Romæ Imperii diadema susceperat; & Ludovico Bavaro circa annum 1347. ex apoplexiâ in venatu extincto, rerum potiebatur) Româ discedentem, honoris & officii causâ usque ad ditionis Apostolicæ terminos profecutus est.

Alia ejusdem gesta referuntur.

Demum cum bellum in Hispania inter Castellæ & Aragoniæ Reges iterum recrudesceret, eosque Gregorius XI. firmiori atque antea fœdere conjungere satageret, Legatum eò misit Guidonem, (ut auctor est Mariana) qui cum nihil, quod quidem Regibus ad pacem ineundam conveniret, proponere posset; saltem inducias, magno subditorum commodo, in biennium protractas eblanditus est. Ea occasione pacem etiam sancivit inter Henricum Castellæ, & Ferdinandum Lusitaniæ Reges, nam Henricus qui per eos dies, Marte non satis propitio, cum Petro Aragonio conflixerat, pacatum sibi Ferdinandum potius, quam offensum exoptans, cum eo his legibus convenit: ut oppida belli tempore occupata utrinque restituerentur, & offensæ utriusque partis studiosis, nullâ dictâ multâ, remitterentur, & abolerentur. Ad eandem quoque concordiam revocavit Carolum Navarræ Regem, qui Henrico Castellano, indicto bellô, multum negotii fecerat, multisque eum incommodis ac injuriis afflixerat.

Ereptus est è vivis Guido Cardinalis, antequam controversias inter Aragonium & Castellanum iterum, ut diximus, exortas sopiret. Sublatum autem increbuit rumor illum venenô, à Carolo Navarræ Rege per insidias propinatô. Quo rumore sparsô Carolus objectum crimen apud Pontificem submissis literis & oratoribus purgare conatus est, cujus excusationes uti fundatas Gregorius (postquam Guidonis necessarios diligenter percunctatus, non venenô, sed morbô naturali extinctum comperisset) admisit, ac pristinae illi famæ integritatem hisce litteris, anno 1374. exaratis restituit:

Moritur: sed falso à Carolo Navarræ Rege venenô impetitus spargitur.

GREGORIUS &C. CAROLO REGI NAVARRÆ ILLUSTRÆ &C.

Idem Nuncii sub commissâ eis per easdem literas credentiâ pro parte Tuâ Magnificentia Nobis exposuerunt, quòd eidem Serenitati relatum extiterat, nobis falso suggestum fuisse, quòd bona memoria Guidoni Episcopo Portuensi, tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Legato, venenum seu toxicum dari, seu ministrari feceras, propter quòd viam fuerat universa carnis ingressus. Verum, Fili charissime, id nobis à pluribus dictum fuit; sed considerantes puritatem devotionis ad Deum Catholicorum Principum progenitorum tuorum, atque

ruam, statumq; regium nolle tantam maculam in sui nominis gloriâ ponere; nec non sincerum amorem, quem ad dictum Episcopum gerebas, hoc credere nullâ ratione potuimus. Et licet cum familiaribus præfati Episcopi de infirmitate ipsius & morte sapius & diligenter locuti fuerimus, nunquam tamen scire potuimus, eum aliter, quàm morte naturali, quæ nulli parcit, decessisse. Quapropter, Fili charissime, de præmissis nobis falso suggestis, cum veritatis claritas mendaciorum tenebris in hoc obfuscarî nequeat, in antea non curet sinceritas Regia nobis chara. Datum Sallon. Arelatensis Diocesis x. Kalend. Julii, Anno IV.

Obitus ejus,
& Scripta.

Lucis igitur usuram amisit Guido Cardinalis Ilerdæ in Hispania, die 25. Novembris anno à partu Virginis 1373. non venenô, sed morte naturali, ut luculenter Pontificiæ demonstrant literæ. Vir literis, meritis, virtutibus, & amplissimis legationibus clarus. Ejus corpus in Abbatiam de *Boschetto* dictam translatum, ibidem honorificè conditum fuit. Hic Ædes sacras Carmelitarum Parisiensium in Mauberti platea anno salutis 1353. decimo sexto Octobris, deprecante Joannâ Philippi Longi uxore; & Ecclesiam Moncelli D. Claræ Diocesis Bellovacensis solemni ritu dedicavit. Prædones Villam à S. Spiritu dictam occupantes, tempore Innocentii VI. fugavit.

Scriptissè fertur plurima, quæ ad Ecclesiasticæ Antiquitatis doctrinam, exquisitamque sacrorum Rituum cognitionem spectant. Uti MM.SS. Bibliothecæ Vaticanæ fidem faciunt.

De eo agunt Parvinius in Vitis Rom. Pontif. Frizonius in Gall. purp. Matthæus Villanus in Hist. Florentina. Aubery in Vita. Thomas Costus in Hist. Neapolit. Odericus Raynaldus, & Abraham Bzovius in Annal. Waddingus in Annal. Min. Felix Contelovius in Elencho Cardinal. Viçtorellus in addit. ad Ciaconium. Ughellius in Ital. sacra. Valerius Polydorus in descriptione Ecclesiæ S. Antonii. & Alii multi.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GERARDO DOMARO S.R.E. CARDINALE.

XLVI.

Ordinem D.
Dominici in-
greditur,
ejusdemq; Or-
dinis Gene-
ralis, ac de-
nique Cardi-
nalis efficitur

GERARDUS Domarus (quem varii variè de Domario, de Guardia, de Gorria appellant) natione Gallus, Lemovicensis, in Provincia Tolosana (vel ut Petro Frizonio placet) Narbonensi natus, Clementis VI. Pontificis Maximi ex sorore nepos, à teneris annis optimis moribus & disciplinis institutus, religiosæ militiæ in sacro Prædicatorum Ordine nomen dedit. Emissa Professione divinis literis tanto se studio addixit, ut decurso sacre Theologiæ curriculo, eandem facultatem diversis in locis sui Ordinis publicè docuerit, Doctorque clarus non immeritò audire meruerit. Post Cœnobita varia integerrimè administra-
ta, ad

ta, ad supremum ordinis sui apicem, exigentibus id præclaris suis meritis, euectus est. Etenim in locum Hugonis Galli vitâ functi, Carcaſſonæ in Capitulo generali sub annum 1340. adunato & celebrato, omnium ſuffragiis Generalis totius Ordinis designatus, diu optatam Clementi patruo anſam dedit cooptandi illum inter Patres purpuratos. Lutetiâ igitur Pariſiorum anno Domini 1342. Avenionem apoſtolicò decreto vocatus, Collegio Cardinalium titulo S.Sabinæ inſertus eſt.

Claruit dum vixit virtutibus variis, præfertim ſacro eloquio, & munificentia in pauperes, in quos magnam sæpè vim auri liberali manu effudit. Multa apud Clementem ei additiſſimum pro ſacro ſuo Ordine emolumenta & privilegia impetravit: & intentus eidem Ordini provehendo, auctor fuit, ut Bertrandus, Pontifici Sacelli Sacerdos; & Joannes Molendinus, clarus in Theologiâ Magiſter, lector ſacri Palatii conſtitueretur. Legationis munere functus eſt in Gallia, ubi collapsos Clericorum mores præclaris editis ſtatutis, integritati priſtinæ reſtituit.

Scriptit, ut refert Paulus Cortefius,

Commentaria Theologica.

Synopſim in Summam D.Thomæ Aquinatis.

Sermones plurimos, doctrina inſigni conſpicuos publicæ poſtmodum luci donatos.

Efflavit animam meritis plenus Avenione die 17. Septembris anno ſalutis 1343. vel ex Ciaconio, Frizonio & aliis Tolofæ 1345. ſepultus ibidem apud ſui Ordinis Alumnos.

Ejus meminere Frizonius in Gall.purp. Antonius Senenſis in Chron.Ordin.Prædicat. Ferdinandus de Caſtillo in Hiſt.Ordin.Prædicat. Aubery in Vita. Parvinius in Vita Rom.Pontif. Felix Contelorius in Elencho Cardin. & Alii.

Ordini ſuo, magno emolumento & ornamento eſt.

Scripta Ejus, & obitus.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GUILLELMO JUDICIS S.R.E. CARDINALE.

GUILLELMUS Judicis, natione Gallus Lemovicenſis, Clementis VI. ex ſore nepos, ſcientiâ Juris inſtructiſſimus, ac legum Doctör in paucis egregius, ab eodem Clemente Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin (aliàs Scholæ Græcæ) mox ab Urbano V. anno 1361. vel meliùs à Gregoriô XI. anni 1371. inter Presbyteros Cardinales titulo Sancti Clementis cooptatus eſt.

In Regno Neapolitano legationis munere unâ cum Annibaldo priùs; deinde cum Guidone, Episcopis Tuſculanis (de quibus n.33. & n.45. egimus) functus eſt juffu Clementis, ut Ludovici Hungarorum

Cardinalis creatus Legatione Neapolitanâ fungitur.

garorum Regis impetus atque iram in Joannam Reginam ob interemptum Andream Maritum conceptam, suâ prudentiâ frangeret. Hic cum Oratoribus Hungariæ Conventus plures habuit pro pace: in quibus nonnullas leges partim à Pontifice, partim à Rege Hungarò, partim à Joannâ Reginâ ejusque marito Ludovico Principe Tarentino adimplendas proposuit: quæ cum summam viri prudentiam redolerent, summamque justitiam & æquitatem præferrent; non modò Pontifici, sed & cæteris Principibus, quorum intererat, gratissimæ juxtâ ac acceptissimæ cecidère.

Simili successu legatione Castellana perfungitur.

Ab Innocentio VI. Clementis Successore in Castellam postea sub annum 1352. Legatus missus, ad civiles motus comprimendos; restituendum Ecclesiasticæ disciplinæ splendorem; labantemque rei Christianæ statum sustentandum, omnia ex sententia Pontificis confecit. Ea occasione jussus est etiam Petrum Castellæ Regem, ejusque pellices, ob publicam libidinationem sacris interdictos (si quidem resipiscerent, ac flagitiorum veniam peterent,) ritu Ecclesiastico absolvere, atque interdictum, quo innexi erant, dissolvere.

Dum hæc curaret Legatus, auctæ inter Reges Aragoniæ & Castellæ sunt discordiæ, quibus impliciti, cum neuter alteri cedere in animo haberet, novum & atrox inter eos conflatum est bellum, non nisi multo Christianorum sanguine extinguendum. Innocentius, qui fidelium arma in Mahumetanos versa magnâ sui animi voluptate perspicere optaverat, Legato imperia dedit, dissidentes Hispaniæ Reges, quacunque demùm arte posset, in concordiam revocandi. Sed, ut refert Rodericus Sanctius in Historia Hispanica, Legatus Petrum Castellæ Regem pro pace ineundâ humanissimè conventum, inflexibilem reperit, nihilque apud obduratum profecit.

Petri Castellæ Regis crudelitas & sacrilegia.

Cumulaverat interim flagitia flagitiis Petrus Rex, non modò sævitiâ & crudelitate in suos, quos pro lubitu, nullâ interveniente causâ, carcere, inediâ, ferrò, fune, venenò passim sustulerat; verum etiam sacrilegiis & rapinis, quum Ecclesiastica bona, redditus, vectigalia (omni sacrorum ratione contemptâ) sui juris faceret, atque ad infamem scortorum alendorum usum, in ærarium regium conferret. Eapropter gravissimam vindicantis Numinis dexteram expertus, debitas scelerum pœnas infelix dedit. Nam ab uno fratrum Henrico, cujus vitæ insidiabatur, bellò petitus, acieque devictus, multis confossus vulneribus, miserrimo exitu impiam animam in execratione efflavit. Documento sanè Regibus ac Principibus luculento & attendendo, ne & ipsi improba Petri vestigia sequentes pari se pœnâ perditum eant.

Ejusdem interitus.

Alphonfi Regis triste sed veridicum de Petro filio vaticinium.

Cæterum Petri Regis (cujus enormia flagitia Bzovius in Annalibus ex Sanctio graphicè describit) corruptissimos mores prævidisse & prædixisse ferunt Regem Alphonsum patrem. Cum enim peste percussus sub annum Christi 1350. moreretur, & Proceres, quos filio decedens commendatos relinqueret, perquirerent: ille sensum verborum perspicuus, quasi vellent dicere: *Si Petro tuo filio nos commendas, gladio nos committis*: respondit; *Deo summo Regi vos committo*. Cum verò etiam sciscitarentur, *cui Petrum committeret?*

Ille

Ille altum ingemiscens, *Vobis*, inquit, *si bonus erit: sed id me pluris, quam mors angit! cum enim qualis futurus sit, non ignorem, doleo acerbissime talem vobis relinquere heredem & Dominum, qui meliorem vobis filium dimisisse optarem.* Subdidit porrò: *Licet enim Adriani Caesaris sententia fuerit: quia successorem nemo odit: ego fateor, Petrum ut filium diligo, ut successorem non amo, nec ut Regem futurum lator.* Hæc Alphonfus pater de Petro filio, qui initia regni sui lasciviâ, progressum tyrannide, exitum execrabili fine defœdavit.

Atrocius quiddam in thoro geniali, hoc ipso tempore, quo Guillelmus Neapoli legatione fungebatur, apud Principes regio Neapoli perpetratum lego. Robertus, Hugonis comitis Avellini filius, Mariam Caroli Dyrrachiani Ducis relictam viduam excellentis formæ fœminam, & Joannæ Reginae consobrinam (postquam amoris impatiens reluctanti stuprum intulisset) in matrimonium sibi conjunxerat: ac propterea à Ludovico Siciliae Rege cæso patre ipse quoque in vincula datus erat. Conabatur Innocentius Pontifex mediante Guillelmo Legato hominem non modò in libertatem asserere, sed & inter illum atque Reges pacem non spernendis conditionibus conciliare. Cæterum frustra operam impendebat, quòd & Maria indignè ferret contumeliam sibi à Roberto illatam, & Reges amplitudinem dignitatis regiae contemptam vindicare cogitent. Ulta est Maria, Ludovico & Joanna sive conniventibus, sive adeo jubentibus, acceptam injuriam. Namque virilis animi mulier, stupri contumeliâ exacerbata, arrepto pugione, quatuor satellitibus comitata, in ergastulum, ubi Robertus vir detinebatur, accessit: & cum inprimis præposteram illi libidinem impotenti convitio exprobrasset, tum deinde indignum se suo matrimonio addidisset, adacto in ejus viscera pugione, quatuor illis apparitionibus, quos secum adduxerat, ut & ipsi proditorem sanguinis ac honoris regii confoderent, præcepit. Repetitis ictibus confossum confectumque per decipulam in mare piscibus escam projecerunt, capite, ne truncum fortè corpus inventum agnosceretur, à cervicibus revulso. Ad hunc modum falax invenis pœnas ultori Deo dependit, quòd vim seu stuprum Regiæ fœminæ (ut ait Bzovius) intulisset.

Guillelmus Legatus atrox facinus detestatus, relictâ Neapoli Avenionem repetiit, ubi sumptuosum Palatium (hospitio ad id in Divi Agricolaë areâ coëmpto) extrui curavit. Quod deinde progressu temporis in cœnobium conversum, sacris Virginibus S. Præxedis ad incolendum ex ejus testamento concessum est.

Vitâ demum privatur Avenione die 28. Aprilis anno salutis 1374. sepultus ibidem in Ecclesia majori. Scripsit plurima ad Jurisprudentiam, Decretorumq; Pontificiorum explanationem spectantia: quem ex hoc maximè nomine laudat Cortesius, Purpuratorum encomiastes doctorum. Petrus Frizonius scribit Guillelmum hunc Diaconorum primum, anno 1371. coronam pontificalem Gregorii XI. capiti imposuisse in Ecclesia principe Avenionensi; quare videtur in ea sententia esse, Guillelmum non ab Urbano V. sed à Gregorio XI. presbyteris Cardinalibus adscriptum fuisse.

Robertus comes Avellini Mariæ Dyrrachianæ vim infert.

Maria injuriam severè ulciscitur.

Guillelmus Avenionem redit. Ejus munificentia.

Ejusdem obitus, & Scripta.

Ejus

*Ejus meminere Parvinius in Vitis Roman. Pontif. Aubery in Vita. Odericus
Raynaldus in Annal. Jo. Mariana in Histor. Hispan. Frizonius in Gall.
purp. & Alii.*

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

ELIA DE NABUNAL

S. R. E. CARDINALE.

XLVIII.

*Ob egregias
animi dotes
magnis Eccle-
siae dignitati-
bus decora-
tur.*

ELIAS de Nabunal, Gallus, natus in Diocesi Petragoricensi in villâ quadam *Nabunal* dictâ, unde cognomen traxit, egregius Ordinis Minorum Theologus. Hic ob eminentem sacrarum literarum scientiam, præstantissimos mores, ac virtutum merita renunciatus est primò Archiepiscopus Nicosien- sis, deinde Patriarcha Hierosopolitanus, retentâ nihilominus, ex pontificia dispensatione, Ecclesiæ Nicosien- sis administratione: demùm Presbyter Cardinalis S. Vitalis. Hisce dignitatibus auctus à Clemente VI. (cui charissimus erat) plura insignia diplomata obtinuit, quibus tum ipsi, tum Ordini suo multa concessa sunt beneficia Ecclesiastica, annui redditus, & privilegia, additâ hâc clausulâ: *Non obstante quod professor Ordinis Minorum existis.* Quâ illum Pontifex votò paupertatis, quo vi Ordinis nullas proprietates admittere poterat, exemit. Eidem quoque potestatem fecit dispensandi cum *Lusignano* Hugonis Regis Cypri Primogenito, qui sponsam sibi delegerat *Ecchinam*, miræ pulchritudinis Virginem, *Monfortii* Comit- tis filiam, quæ tertio sanguinis gradu eum attigerat.

*Dispensat cū
Lusignano
Regis Cypri
filio.*

*Obitus Ejus
& Scripta.*

Post Clementis obitum interfuit comitiis, in quibus, eo maxime adnitente, renunciati sunt Romani Pontifices *Innocentius VI.* & *Urbanus V.* è vita excessit *Avenione* IV. nonas *Octobris* anno reparatæ salutis 1367. ubi sepulturâ donatus est in Ecclesiâ *Minorum*.

Scriptit in 4. Libros Sententiarum.

Commentaria in *Apocalypsim*.

De *Vita contemplativa*.

Sermones in *Evangelia*.

*Nonnullorū
circa Eliam
de Nabunal
errores dete-
guntur, &
improbantur*

Hunc de *Annibaldis à S. Heredio* cognominat *Rodolphus*; & ab *Innocentio VI.* Cardinalem creatum contendit: utrumque perperam, & contra omnium Scriptorum sententiam, excepto *Ciaconio*, qui ab eo deceptus, in similem prolapsus errorem, *Eliæ purpuram* in annum 1353. retulit. Constat enim ex *Mariani Florentini*, *Marci Ulyssipponensis Chronicis*, aliisque contemporaneis Scriptoribus, eum à *Clemente VI.* circa salutis annum 1342. ad hanc dignitatem evectum esse. *Lucas Waddingus* in *Annalibus Minorum* Eliam ex Presbytero Cardinali *S. Vitalis*, Episcopum *Ostiensem* & *Velt- ternum* renunciatum esse scribit: sed & ipse palmari labitur errore:

Duo

Duo enim fuerunt hoc nomine Cardinales; alter Elias de S. Heredio ex Monacho Benedictino Episcopus Uticensis primò; deinde Ostiensis ab Innocentio VI. creatus, ut constat ex Libris sacri Collegii à Contelorio visis, lectis & citatis. Alter Elias de Nabunal, Ordinis Minorum Presbyter Cardinalis S. Vitalis. Waddingum itaque nominum similitudine deceptum, in hoc nostro Elia hallucinatum esse, in propatulo est.

Ejus meminere Petrus Frizonius in Gall. Purpurata. Aubery in Vita. Ciaconius in Vitis Pontiff. Contelorius in Elencho Cardin. Waddingus in Annal. Min.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

ÆGIDIO ALBERNOTIO
S. R. E. CARDINALE.

ÆGIDIUS Albernotius, Hispanus, patriâ Conchenfis, ex nobilissima, vereque regia stirpe suos sortitus natales, Patrem habuit Garziam Alvarum Albernotium, principem virum, multis opibus, oppidis & populis dominantem, qui genus ab Alphonso V. Legionensium Rege perpetuâ stemmatis claritate repetebat: Matrem verò Theresiam de Luna, quæ & ipsa summo loco nata genus ducebat ab Aragonum Rege Jaimo. Ægidius cum jam inde ab ineuntibus annis literarum studio deditus, magna futuri profectus præbuisset documenta, ætate aduultior in Tolosanum florentissimum id temporis Gymnasium, juri daturus operam, à Patre optima spe concepta mittitur. Ubi ingenii felicitate, pertinaci erga literas studio, eò processit eruditionis, ut brevi inter Juris peritissimos, nec extremo loco numeraretur. Quam doctrinam cum eximia morum sanctitate, & singulari religionis observantia illustrasset; in patriam revocatus, ac nactus Alphonsi XI. Castellæ Regis familiaritatem, apud eum tantâ gratiâ & auctoritate valuit, ut haud ita longo interjecto tempore Archiepiscopatu Toletano, amplissimâ & primariâ dignitate, ab eodem sit auctus.

XLIX.

Ægidii regia stirpis Adolenscentis primordia.

Ab Alphonso Castellæ Rege Insulâ Toletanâ donatur

Expeditioni celeberrimæ sub annum 1340. in Mauros decretae interfuit, magnaque pars reportatae de iis Victoriæ fuit. Siquidem prælium cum Mauris initurus Alphonsus, Ægidio rem divinam operanti religiosissimè adstitit: & cum Christi corpus adorasset, ac venerabundus ab ejus manibus sumpsisset, ab eodem se se armis, prius sacratissimis, indui poposcit, cujus ille precatu, ut res feliciter evenirent, non modò corpus ferrò, sed & animum summa in Deum fiducia armavit.

Cum eodem Alphonsò in Mauros movet.

Confluxerant ex Africa & Asia Sarraceni incredibili copiâ, ut Christianam in Hispaniis religionem funditus everterent: & quasi de Triumpho jam securi, cum mulieribus & infantibus concurrerant,

Ingens Barbarorum exercitus sub Ducem Albobacendò.

rant, tanta quidem multitudine, ut ad sexcenta peditum millia, equitum verò ducenta millia ascendisse scribant nonnulli. In equitum numerum consentiunt plurimi, quem alii adjectis duodecim millibus etiam augment. Peditum autem quadringenta millia sub signis stetisse affirmant.

Impares longè erant tanto numero Christiani cruce signati (quorum copiae sub Castellæ & Lusitaniæ Regibus recensitæ, non nisi quatuordecim equitum millia, & peditum viginti quinque millia æquabant.) hi pio ardore succensi aut vincendi in terra, aut fuso pro Christiana fide sanguine triumphandi in cœlo, instructâ acie, rectâ in hostem moverunt. Cognito cruce signatorum adventu lætus Albohacenus Dux infidelium, qui tum Tariffam arctâ obsidione premebat, dimotis castris pleno agmine ex adverso occurrit, nihil addubitans, quin Christianos immani Barbarorum multitudine facillè sit oppressurus. Magnis igitur utrinque animis in prælium itur: neque minùs pro gloriâ, quàm pro salute acriter aliquamdiu confligitur. Tandem Albohacenus dextrum suorum cornu inclinari videns, mediamque aciem à Christianorum gravis armaturæ equitibus urgeri, fugam coactus iniit, equitatum à tergò hostibus objiciens, qui persequentium impetum non nihil tardaret. At Christiani objectum Barbarorum equitatum disjicientes, & ne cum Albohaceno coire possent, impediens, focis hostes persequentibus expeditum ad victoriam iter fecerunt. Siquidem Albohacenus, dispersis quaquaversum suorum ordinibus, ad ea loca devenit, ubi nulla saluti fuga superesset: devenerat enim ad salsum fluvium, qui cum ponte, & navigiis careret, arte nullâ trajici poterat. Ibi injecto divinitus Barbaris pavore, cum quisque eorum, projectis armis, diffugia quæreret, ingenti strage sunt profligati. *Magna cades facta*, scribit Auctor Hispanus Mariana, *supra ducenta hominum millia in prælio, fugâq; ceciderunt, captivorum & armentorum ingens numerus fuit: è Christianis (quod vix fidem facit) non amplius viginti desideratis.* Dissentit tamen Zurita, qui viginti millia Christianorum in hac pugna occubuisse tradit. Alii non nisi duo millia desiderata contendunt. In hostium numerum omnes conveniunt: quem quidam auctum, nulli diminutum volunt.

In ipso certaminis æstu Ægidius Regem alios hortantem, (lateri semper proximus) adhortationibus suis viriliter incendebat; eundemque, ne inconsultius hostibus immisceretur, discrimenque capitis aut captionis subiret, injectâ sæpiùs manu retinuit, ut refert laudatus Mariana his ferè verbis: *Ægidius Toletanus Prasul à Regis Castellæ latere nunquam discessit: desertumq; panè à suis & in confestos hostes irruere parantem, voce manuq; retinuit, ne tristis aliquis casus certam victoriam corrumperet.* Sunt qui scribant Alphonsum tribus in conflictu amissis equis quartum incensisse; multisque sagittis adverso corpore exceptis, nihil læsum fuisse: quippe quòd pectus loricâ, caput casside obarmatus incesserit, Incidit hæc pugna in annum trecentessimum quadragesimum supra millesimum. De die variant Historici: *Nobis certissimis monumentis*, inquit Mariana, *exploratum est Terzio Calendas Novembris, die Luna victoriam hanc nobilissimam partam esse,*
uti

Atrox prælium conseritur, Victoria à fidelibus stante.

Ad ducenta hostium millia cæsa produntur.

Ægidius fidelis comes Regis & tutor.

uti in fastis Toletanis notatum est, ubi anniversariis sacris festâq; lætitiâ, ex veteri instituto, ejus diei memoria celebratur. Has annuas supplicationes ob partum de Mauris triumphum decrevit Ægidius Archiepiscopus Toletanus.

Partâ insigni hac Victoriâ, decennio post Alphonfus Castellæ Rex diem clausit extremum, Regnum Petro filio, dicto *Crudeli* relinquens, apud quem Ægidius eodem familiaritatis loco receptus eandem auctoritatis gratiam aliquamdiu continuavit. Quem denique in foedissimam luxuriam, immanemque sævitiam prolabentem, cum monitis suis à crudelitate, apertisque stupris & adulteriis retrahere non potuisset, & ab eo vitæ suæ insidias strui non obscure cognovisset, causâ simulatâ, missionem efflagitat; quam cum vix ad tempus impetrâisset, Concham urbem patriam pervenit, ubi parumper commoratus, comparatâ clanculûm classè ad Clementem VI. Avenione tum agentem profugit: à quo summo honore exceptus, ob doctrinam, prudentiam, rerum gerendarum peritiam, & generis nobilitatem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis adscriptus est.

Mortuo Clemente, Innocentius VI. qui ei sub annum 1352. in Pontificatu successerat, Ægidium Episcopum Sabinensem nominavit. Cumque ea ætate pars magna Italiæ, quæ ditionis Ecclesiasticæ erat, à Tyrannis opprimeretur, ad illam recuperandam legatur in Italiam Ægidius. Tulit inquitore animo Petrus Castellæ Rex Ægidium Cardinalem, cujus operâ uti meditabatur (vel ut alii scribunt, cujus vitæ insidiabatur) in Italiam Legatum mitti. Quare apud eundem Pontificem frequentibus literis & precibus institit, ut illum ab Italica legatione revocatum, in Hispaniam ad pertractanda Regni negotia submitteret: Pontifex, qui Ægidio hoc prætextu insidias strui non ignorabat, artem arte elusus, Petro extremas Ecclesiæ difficultates, quibus superandis alii pares non essent, in hæc verba exposuit: *Tantum enim presumpsit, & presumit etiamnum in Italia partibus adversus Ecclesiam & fideles & devotos ambitio Tyrannorum, quæ jam majorem Terrarum partem ipsius Ecclesiæ temerariis ausibus occupavit, & ad occupandum residuas studia erigit, intendit, & curat, ut propterea necessario expediat præfati Legati nedum non differre, sed accelerare discessum.* Petrus denegato Ægidio spe sua dejectus, in alios palam desævire, ipsumque Pontificem dictæ impetere, & hostem regni, nullâ interveniente causâ, interpretari cœpit.

Cæterum extant in Archivo Vaticano Innocentii literæ ad Ægidium datæ, quibus arduum hoc illi munus demandatum est: ut enascentes nimirum in Italia hæreses potenti suo eloquio præfocaret; scelerum licentiam, objectis censurarum repagulis, coerceret; sacerdotalem splendorem indecorâ vivendi licentiâ pænè extinctum restitueret; divini cultûs majestatem magna ex parte oppressam restauraret; bella undique erumpentia oppositis armis componeret; afflictis denique rebus, opportunis remediis, subveniret; & animarum salutem tot expositæ periculis pro virili consuleret & prospiceret. Apostolicas hæc litteras prolixo satis argumento ad Ægidium scriptas legere volenti, suffecerit indigitare Augustinum

Mortuo Alphonso, Petrus filius, dictus Crudelis, in Regno succedit.

Ægidius Petrum ob vitia declinans Avenionem profugit, ubi purpurâ ornatur.

Petrus Ægidium repetit. Sed non obtinet.

Trascitur Pontifici.

Ægidius in Italiam Legatus mittitur: legationis variæ causæ.

Oldoinum in additionibus ad Ciaconium, ubi de gestis Ægidii Cardinalis Legati cum laude agit. Nos cætera prosequamur.

*Formidabile
exercitum
conscribit, fe-
liciq; successu
in Italia Ty-
rannos mo-
vet.*

Ægidius itaque amplissimis hisce mandatis, aliisque prærogativis & facultatibus instructus, munus legationis sibi demandatæ ex Apostolico imperio obiturus, diversarum nationum, Gallorum scilicet, Germanorum, Cimbrorum, & Britannorum formidabilem exercitum comparavit; usus ad hoc magna ex parte operâ Gometij Albernotij, nepotis ex fratre, viri strenui, impigri & rei militaris longo usu periti. Accivit etiam ex Hispania viros in paucis celebres, qui bello gerendo egregiam operam navaverant, inter hos Blascum Fernandum & Garliam Albernotium sibi propinquos, qui jam sub Alphonso Castellæ Rege militantes, in suæ virtutis præmium amplos honores fuerant consecuti. Sic milite & auctoritate stipatus in Italiam iter suscipiens (incusso ubique rebellibus timore) primò Mediolanum venit, ubi à Joanne Archiepiscopo, præmissis honestissimis viris, nobili ac magnifico hospitio exceptus est. Rebus Mediolani utcunque compositis Pisas se contulit pari susceptus honore & hospitalitate. Redactis in ordinem Pisanis, inde movens undecimâ Octobris Anni 1353. Florentiam profectus est. Quem Florentini (teste Matthæo Villano) solemni pompa obviam effusi, instructo agmine religioso, ingenti populi acclamatione, festo campanarum sono, tubarumque clangore, prætenso ejus capiti prædiviti umbraculo, ac nobilissimis civibus fræna equi tenentibus, magnificè in paratam prætorii ædem deduxerunt. Ægidius explorato rerum statu, redintegrato Magistratu, correctis Cleri, Populiq; moribus, ac suscepto fidelitatis & obedientiæ pro parte Pontificis sacramento, discessum parat. Abeunti maximè rursùs exhibiti honores, & oblata munera, concessiq; centum quinquaginta equites auxiliares, armis & vestitu apprimè instructi. Contulit se inde in Patrimonium B. Petri, eiq; adventanti, post exhibita honoris & fidelitatis obsequia, Montisflaconis, Aquæpendentis, & Volfinii arces se dedidère. Joannem è vico, Tyrannum, qui Patrimonium B. Petri vi occupaverat, vix armis aggressum fugavit, eoq; dilapso Tuscanellam, Viterbium, Martam & Caninum oppida in Ecclesiæ potestatem redegit. Narnia etiam atque Æmilia, excusso ejusdem Joannis de Vico jugo, Ecclesiæ imperio se se addixère. Eugubinum insuper & Tudertum Joanni Cantuccio extorta, Ecclesiæ interdicto soluta eidem restituta sunt.

*Superatis Ty-
rannis, pluri-
mas arces,
oppida, &
urbes recipit.*

Revocatis ad officium uno quasi victoriæ tractu tot oppidis ac populis, atque confirmatâ Ecclesiæ potentiâ, Picenum ex Tyrannorum servitute vindicare aggressus est. Firmanum, Anconam, Fanum, Pisaurum, Forum Sempronium, Numanam, Senogalliam, Auximum, Recinetum, aliasque plures urbes & oppida in Æmilia & Piceno à Tyrannis oppressas, fugatis iis, Ecclesiæ restituit. Deinde Polentanos ac Ravennam, collatis prosperè cum oppressoribus signis, ad Pontificis obsequium adegit. Cesenam, Castrum novum, arcemque Britenorianam vi expugnavit, & Bononiam, quam initio renitentem habuit, à Joanne Olegiano armis perterritò recepit.

His

His immoranti Ægidio, Carolus Romanorum Rex, coronationis causâ Italiam ingressus, ab Innocentio commendatur, eique munus unguendi eum in Regem coronandique imponitur. At ille Piceno tum bello, quod nullam absentiae moram pateretur, implicitus, factâ per literas apud Pontificem excusatione, eo se onere liberavit. Quare Petro Cardinali Ostiensi munus augustali Diademate cingendi Carolum impositum.

Cum autem ea tempestate Ludovicus Rex & Joanna Regina Siciliae duplici bello exercerentur; hinc enim Fridericus Aragonii sanguinis princeps, Catalanis auxiliis fultus in Trinacria Messanam ac Panhormum divexabat; illinc infestae foederatorum militum turmae Apuliam depascebant. Innocentius Rom. Pontifex afflictis Siciliae rebus opem allaturus Ægidio Cardinali, ut auxiliares mox illis copias submitteret, imposuit: eidemque in Siciliae Regno legationis Apostolicae munus cum hoc imperio demandavit, ut praedones impunè per latrocinia grassantes, objectis armis, coërceret: turbatum regni statum componeret; disciplinam Ecclesiasticam in pristinum splendorem assereret; atque Fraticellos, impurum Hypocritarum genus, reprimeret.

Sollicitus ergo cumprimis Ægidius avertendi ab Ecclesiastica ditione socialem latronum exercitum, qui continuis incolas exactionibus, rapinis & latrociniiis infestabat, hunc pactâ quadam auri vi placavit: id quod Matthæus Villanus vitio illi tribuit. Sed necessitas eò Cardinalem adegit, cum Ordelaßi tyrannide Forolivium liberare aliter non posset, nisi ab illius foedere praedatrices turmas abstraheret, quae quidem promisso auro illectae, cum jam Forolivienses depastae, vix quae ultra absumere possent, reperirent, numeratis à Cardinale duodecim aureum numum millibus discessere. Ac tum Ordelaßus, movente ad urbem Ægidio, extremi periculi terrore cinctus, (quippe qui Foroliviensium odia, ob inductos in eorum domos praedatores foederatos, in se accenderat) misericordiae Legati Apostolici, scelerum suorum veniam pactus, se commisit. Sunt qui dicant, Ordelaßum illa ipsa nocte, qua Cardinalis Forolivienses liberaturus advenerat, repentina morte extinctum, in lecto repertum esse. Id quod iusto Dei vindicis iudicio factum esse interpretabantur illi, qui magnis ab eo damnis affecti fuerant.

Porrò ut intelligatur, quàm saevus, impius & crudelis tyrannus Ordelaßus fuerit, sciendum illum ob patrata atrociam crimina publico edicto ab Innocentio proscriptum fuisse. Nihil verò eo edicto motus, tantum abest ut ad frugem redierit, ut etiam magis suâ in pervicaciâ obduruerit. Quamobrem necesse habuit Innocentius; tanquam in haeticum & apertissimum Ecclesiae hostem anathema pronuntiare; sacris in omnibus locis, quae vi occupaverat, interdicere; & bellum sacrum in prophanum edicere. Impius ad sonum campanae quando diris devovebatur, etiam ipse alias campanas pulsabat, & in summum Pontificem atque Cardinales, ex aliqua materia effictos ac foeno infartos anathema pronuntiabat: nec non Clerum ad sacra obennda per vim compellebat. Quòd si qui contrairent, eos ad necem dabat. Septem sacerdotes furcis appen-

*Legationis
munere in Si-
cilia fungi-
tur.*

*Forolivium
à Sociali La-
tronum exer-
citu liberat.*

*Ordelaßus
deditur, &
interit.*

*Crudelia Or-
delaßi tyran-
ni facinora
enarrantur.*

dit, & totidem vivos, quòd se jubente sacrificare nollent, excoriat. Alios exsecta virilitate labris ac naribus mutilavit. Si quos autem ex cruce signatis militibus comprehendisset, eorum plantas pedum ferro ignito in formam crucis effigiato adurebat, & signatos dimittebat: in contumeliam crucis dicens; *Illud signum è panno tinea patere, à ferro autem impressum perennare.* Alios ex eisdem forcipibus ignitis nudos vellicabat, & vel patibulis affigebat, vel capite imminuebat, vel pellem vivis detrahebat, vel alio denique modo innocentes enecabat, cum hac irrisione: *Meliùs illis fore, si contriti & confesi in ea dispositione morerentur, quàm dimissi occasionem haberent, in peccatum relabendi.* Hæc Ordellaffus tyrannus: quo nescias an ab interitu Neronis pejus immaniusque monstrum tulerit tellus.

*Forolivium
Victor ingre-
ditur, & mu-
nit.*

Hoc itaque, uti paulò antè diximus, repentinâ morte sublato, Forolivium prædonibus purgatum, ad Ecclesiæ obsequium, auctore Ægidio, redactum est. Quam Urbem Legatus magna celebritate, die 4. Julii anno 1359. ingressus, civium liberatorum in se studia, honores, & obsequia expertus est. Cùm enim Ægidius eam ad propulsandos hostes muniendam censeret, propensos in id omnium animos habuit. Itaque collectâ ex publico ærario auri vi, propugnaculis eam firmioribus, fossis & aggeribus munivit, immissoque Ecclesiæ præsidio, hostibus deinceps formidabilem reddidit.

*Gratulato-
rias à Ponti-
fice literas
recipit.*

Ex hac Victoria, ingenti gaudio affectus Pontifex, Ægidio per litteras his verbis gratulatus est: *Licet fama volantis affatibus, antæ tuarum literarum missionem, felix tuus ingressus in Civitatem Foroliviensem ad nostram notitiam pervenisset, facti tamen deinde ex ipsarum literarum serie certiores gavisi sumus in Domino, & exultavit in illo cor nostrum, cùm speremus indubiè, quòd de cætero tam in Marchia, quàm Romaniola Provinciis Nostris, & Apostolica Sedis laboribus, sumptuumque profluvii Deus Ecclesiæ suæ Gubernator & Rector, ac Jurium suorum, suæque Justitiæ defensor sinem propitiatus imponet. Tibi quoque (ut quod interiùs gerimus, exteriùs exprimamus) sicut anxietatum multiplicium tuæ mentis non esse participes minimè valebamus, sic congratulari cogimur, qui tecum etiam in tuis turbationibus turbabamur.*

*Avenione
summis hono-
ribus excipi-
tur.*

Totâ fermè Italiâ pacatâ, cùm singulis civitatibus, castris, ac munimentis probatæ fidei viros præfecisset, eademque necessariis præsidiis ac comætu communivisset, suffectò sibi Androinò Abbate Cluniacensi Avenionem contendit; ubi exceptus fuit ingenti omnium lætitiâ, summaque honoris & obsequii significatione. Appropinquanti enim summus Pontifex cum universo Cardinalium Collegio ad duo millia passuum ab urbe obviâ procedens, eundem per deputatos ad id Cardinales in palatium pontificium deduci iussit. Ubi locuplete oratione rerum ab ipso gestarum summam complexus, maximis ipsum pro suggestu laudibus extulit, & Ecclesiæ patrem ac assertorem, omnium adensu, appellavit. Tandem iussit eum rerum omnium Italicarum curam cum summa potestate habere. Siquidem (ut cum Ciaconio loquar) *dignum eo honore judicavit, quem tot laboribus susceptis tam benè de Ecclesia meritum nôset. Et si quid consulto factoré opus esset pro Italia conservatione, per eum maximè expediri posse, per quem recepta fuisset, non dubitavit.*

Vcrum

Verùm eo in curia diutiùs agentei, atque adeò absente cùm res tanto labore partæ sub Androino turbari iterum ac nutare cœpissent; repressique antea tyranni, collectis viribus, rursùm emergent, coactus Pontifex eum denuò in Italiam ad ferendum Androino auxilium ablegavit, qui illò profectus, brevi temporis intervallo auctoritate sua, prudentia & armis omnia pacavit.

Emergentibus iterum Tyrannis secundo mittitur in Italiam.

In Vicecomites, præcipuos ea tempestate pacis turbatores, atque in primis Bernabovem eorum Principem arma movit. Erat Bernabos ingenti & heroico spiritu princeps, sed qui ob nimium augendæ dignitatis, ac imperii proferendi studium, & bellandi effrænem quendam, neque satis consultum ardorem, gloriæ cupiditate accensum, justò ferocior esse videbatur. Cum hoc igitur duodecimo Kal. Julij anno salutis 1363. Ægidius ingenti stipatus exercitu congressus, eundem propè Bononiam ad S. Roffilli adem adeò luculento prælio devicit, ut paucis fugâ dilapsis, reliqui omnes vel acie occubuerint, vel in manus victorum devenerint. Cæsi ad sedecim hostium millia produntur: capti sex millia: amissæ maximæ opes & eximia Principis supellex: In ea erant vasa aurea & argentea, & pretiosæ vestes. Currus item trecenti, commeatûs ingens copia, & apparatus bellici maxima vis. Ob insignis hujus victoriæ memoriam Bononienses (teste Sigonio l.3. de Episcopis Bonon.) quotannis in eam diem equorum cursum, etiamnum durantem, instituerunt. Cujus etiam meminit Ægidius Viterbiensis in hæc verba: *Ægidius Cardinalis Albernotius Bernabovem vicit, castris exiit, Duces clarissimos ejus cepit, tantâ gloriâ, ut undique Oratores ad Legatum missi venerint, partim gratulatum, partim commendandorum Vicecomitum gratiâ, quòd fecerunt Anglia, Gallia, Cypri Regum Legati. Tanta ejus Victoria lux fuit, ut statim orbem penè universum penetrârit.*

Bernabovem Mediolanensium Ducem aggreditur, & profligat.

Ex Italia deinde in Hungariam profectus, Ludovicum Regem ex nomine Pontificis convenit, ut eum ad capeßendam Romanæ Ecclesiæ clientelam, ac tuenda armis illius jura excitaret: utrumque ex animi sententiâ confecit: *namque Regem, ut Bonfinius ait, sui amantissimum, per omnia obsequentem habuit.*

Legatur in Hungariam.

Mortuo interim Innocentio successit Urbanus hujus nominis V. vir uti vitæ probitate conspicuus, sic literarum eruditione ap-primè excellens: Quem Petrarcha coætaneus libro 7. Senilium appellat *hominum innocentissimum: quippe qui nulli toto antea vitæ decursu malè fecerit, aut optaverit; qui humanitate rerum, & verborum humilitate Christum, quantum poterat sequebatur: Victor humanorum affectuum & contemptor: Christi, cui in spiritu serviebat; Petri, cui in officio successerat; Ecclesiæ, cui præsidebat; Sedis Apostolicæ, cui infidebat; universique Christiani populi amator eximius. Vir denique sine exemplo illius ætatis, qui raro cum exemplo virtutem amare, & voluptatem spernere docuerat, qui inter sacram inediam nutritus, ciborum abstinentiâ, sacrorum librorum lectione ad cœlestem animi pinguedinem indefesso studio anhelabat. Is igitur extrâ Collegium ad Petri solum evectus, ab Ægidio Legato in Italiam jam jam pacatam evocatus, Avenione maritimo itinere Cornetum pervenit, ubi Ægidium quingentis stipatum Ecclesiæ Præ-*

Urbanus V. Innocentio succedit, vir ab Innocentia morum, & vitæ sanctitate commendatissimus.

latis, maximoque Principum, procerum, ac nobilium numero comitatum, obvium habuit. Viterbium se contulit Pontifex, cui Ægidius, legationis munere deposito, prospera precatus, omnium primus sacros exosculatus est pedes, mox Principes, ac Magnates, denique Nobiles, quivis ex ordine.

Ægidius rationem legationum obitarum postulat, claves receptarum urbium pro ratione offert.

Ferunt tum Pontificem quorundam æmulorum Cardinalium suggestionem instigatum, rationem administratæ legationis ab Ægidio petiisse; qui Pontifici vestigalium etiam rationem reposcenti, claves urbium, oppidorum, castrorum, & arcium à se recuperatarum, (vix eas capiente curru) pro ratione obtulit. Cui Pontifex, ejus animi magnitudinem & constantiam admiratus respondit: *Et herclè Ægidi, tam amissam rem Ecclesiasticam haud magno impendio nobis receptam esse satemur, ac tua parcitati gratias habemus.*

Legationem Neapolim suscipit, Joannam Reginam ad fidei Sacramentum adigit.

Paucis post diebus Ægidius Pontificem Romam comitatus, jussus est assumpto legationis munere Neapolim adire, ut Joannam Reginam fidei iacramento in Urbani verba adigeret, & sceptrum siculum Apostolicæ Sedis liberalitati acceptum referenti assereret. Magni honores Ægidio Cardinali Legato Siciliam ingredienti præstiti, & Joanna Regina ab eo fidei sacramento adacta, Urbani V. beneficiariam se professâ est: ut vetera rerum monumenta testantur. In hac legatione Ægidius plures ad componendum Siciliae statum sanctiones edidit, quæ cum invidorum malevolentiam spernerentur, Romanus Pontifex Joannam Reginam serio monuit, uti eas servandas curaret, atque ad publicam rem ex æquitate constituendam incumberet; secus de Regno amittendo periculum incursum.

Bononiæ celebre Collegium pro 31. studiosis condidit curat.

Hanc Legationem Siculam ante Urbani in Italiam adventum subiisse Ægidium volunt nonnulli, qui illum Viterbii, præsentem ipso Pontifice, quasi suo functum munere immortalitatis lauream collecturum obiisse scribunt. Viterbii igitur mortalitatis memor Ægidius, ac velut instantem mortem animo præfagiens posteritati que consulens, testamentum condidit, & convocatis amicis Collegii in Urbe Bononia Hispanis condendi præcipuam curam delegavit, quod quidem altero ab ejus obitu anno exædificatum celebre nunc cernitur, & amplissimis redditibus dotatum, prout ipse testamento cavit, in quo unus & triginta juvenes bonis studiis imbuedi alerentur: quorum tres Aragonenses ut essent statuit, unus Lusitanus, cæteri omnes Castellani. Quorum item octo Theologiam, quatuor Medicinam, reliqui jus pontificium profiterentur. Quatuor item Sacerdotes, qui rebus divinis præessent & sacra procurarent, qui per octo solidos annos in eo singuli permanerent cum Rectore & Consiliariis, more cæterorum Gymnasiorum. In hoc Collegio Bononiæ erecto extat ad memoriam posterorum sequens Ægidii elogium:

ÆGIDIUS CARDINALIS S. CLEMENTIS, SPECTABILI VIRTUTE
B. PETRI PATRIMONIUM TYRANNICA SÆVITIA RABIENTE,
VARIIS TURBINIBUS AGITATUM, RECUPERATA PRISTINA
LIBERTATE, IN TUTA PACE QUIESCIT.

Neque hoc solum beneficio Bononiam urbem affecit Ægidius, adjecit & alia, quibus immortalem apud eos laudem promeritus est.
Magno

Magno carebat Bononia bono, non tantum ad urbis pulchritudinem & ornamentum, sed ad quotidianos etiam usus pernecessario. Nullo siquidem fluvio interlabente civitatem illam, sed ne præterfluente quidem propius passuum tribus millibus, assiduo dispendio longius ab urbe cives excedere ad conficiendum frumentum cogebantur: res non modò gravis pacificis, sed & bellum gerentibus oppidò periculosa, & detrimenti plena. Quo animadverso Ægidius, ut Bononienses suò beneficio, tanto incommodo libetaret, utque urbs ipsa honestior simul & munitior redderetur, partem Rheni, qui Bononiam à tertio lapide præterlabitur, magno labore, magnisque suis impensis per medium urbis, constructò alveò, derivavit: qui in rivulos exinde, ac brachia (ut vocant) sectus, multiplici deinceps commodo tum in publicos tum in privatos usus incolis cessit. Nam molæ aquariæ (seu molendina dicere malis) ab introducto fluvio frequentes intra mœnia exædificatæ pristinorum necessitatem, & longius excedendi molitionis causâ incommodum sustulerunt. Machinæ præterea constructæ sunt ad secandam mirâ celeritate & facilitate cujuscunque rei solubilis materiam ferrâ trusatili, quæ aquarum vi fursùm ac deorsùm agitata, una multorum hominum, antea non absque sudoris & æris impendio adhibitorum, operas adæquaret. Quo nec minùs utile, nec minore etiam admiratione dignum est frequens Bononiæ machinamentum ad polianda & concinnanda textui fila serica, quo machinamento aquæ impulsu circumacta supra quatuor millia fusorum interdum miro ordine, & incredibili artificio simul versantur. Quin & ad salutem loci plurimum contulisse flumen indubitato Medicis experimento proditum est. Bononiensibus enim, nullis ante fontium rivis urbem discurrentibus, putealis tantum & emortuæ (ut sic dicam) aquæ copia & usus erat, qua fluviatilis tantò dulciòr tantoque salubrior est, ut huic comparata putealis, humano potui damnanda potius, quam commendanda veniat. Demùm quòd merces onerariis cymbis Ferrariam usque secundo flumine deportentur, ac reportentur adversò, magno Bononiensium ac Ferrariensium commodo & emolumento, Ægidii industriæ ac beneficio acceptum refertur.

Eandem Urbem multis aliis, iisq; maximis beneficiis afficit.

Migravit ad immortalæ vitæ stationem vir æternitatis bal-famo dignus die 24. Augusti anno restauratæ salutis 1367. Quem Auctor vitæ Urbani V. apud Bosquetum, inter alias laudes hoc exornat elogio: *Fuit insuper homo admodum virtuosus, literarum scientiâ præditus, in agilibus multum circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, et in factis armorum, non omissa pontificali decentia, valde edoctus, & sic expertus, ut nullum totâ Italia sibi parem haberet: Bonis omnibus ut amabilis, sic è contrario malis & inquietis terribilis.*

Ejus obitus & elogium.

Tanti viri mortem Pontifex tam acerbè tulit, ut accepto ejus nuncio biduum integrum, mœrori indulgens, cibo abstinerit; nec ulli hominum conveniendi sui copiam fecerit, illud semper haud interruptis sigultibus ingeminans: *Tené, Ægidi, perdidimus? cujus virtute repressi Tyranni? Ecclesia in libertatem asserta? Tené perdidimus? de Nobis certè actum videtur, ni Deus propitiatus succedat in adiutorium! Cineres ejus Affitii temporario sepulchro in Ecclesia S. Francisci conditi,*

Pontifex ejus decessu multum tristatur.

Cineres ejus maximâ pompa Aſiſiſio Toletum tranſferuntur.

conditi, Toletum poſtea (uti teſtamento caverat) ad Templum Divi Ildephonſi funebri pompa tranſlati ſunt. Cumque Urbanus Pontifex ampliffima Indulgentiarum præmia funus cohonestaturis, ac feretro ſuccollantibus dilargitus eſſet, Aſiſiſio Toletum uſque certatim occurrentibus populis, piorum humeris delatum eſſe referunt Scriptores Hiſpanici. Bergomenſis tamen non corpus, ſed ſed cor dumtaxat, baſamô delibutum, & argenteâ thecâ incluſum, in Hiſpaniam delatum adfirmat.

Inter Elogia, quibus paſſim Albernotii memoria apud Scriptores celebratur, illud non ultimo loco reponendum, quod Joannes Baptiſta Urſi S. J. concinnavit, relatum ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium in hæc verba :

Elogium ejus ex Joanne Baptiſta Urſi refertur.

Ægidius Cardinalis Albernotius altâ ab ſtirpe Regum Legionenſium & Aragonenſium, Archiepiſcopus Toletanus, majore pietatis & doctrine, quàm natalium majeſtate verendus. Rem Hiſpanicam, quoad licuit; Romanam, quoad vixit, conſilio, labore, virtute bellica à vi, à ſervitute vindicavit, adverſus Mauros decertante Alphonſo Rege, periculi & victoriæ conſors. Italos tyrannos Romanis arcibus inſultantes ſummus Imperator perſecutus. Exincto Innocentio VI. pontificiam dignitatem ultrò oblatam, labantemq; ſi Italia excederet, victor ſui maluit tueri, quàm adire: nec ante arma depoſuit, quàm debellatis hoſtibus, Urbanum V. Romanam in ſedem, urbemq; revocaverit Chriſtiana libertatis vindex: quo functus munere, magno parto nomine, majore otio, fato ceſſit; nec ceſſit tamen bonis artibus, de Hiſpano Imperio, de nobiliore hominum genere, fundato Bononiæ Collegio, meretur adhuc. Obiit anno ſalutis humanæ 1367. Inviſti cineres tam ſacri merito capitis, (viventium inſtar Pontificum) cervicibus virorum, Regumq; & Magiſtratum Aſiſiſio delati Toletum.

Quæ ſcripſerit?

Scriptit Ægidius Cardinalis Inſtitutiones quaſdam, quarum pervetuftum exemplar in membranis, inter antiqua ſuorum civium monumenta ſe legiſſe fatetur Julius Roſcius Hortinus in Elogiis militaribus. Item Conſtitutiones pro tranquillo ſtatu Piceni, *Aegidianas* dictas, quibus etiam nunc Picena Regio dirigitur. Alias quoque edidit Conſtitutiones, cum Vicarius eſſet Regni Siciliae, valde utiles, quæ in Cardinalis Sirleti Bibliotheca olim viſebantur, ut auctor eſt Nomenclator Cardinalium.

Ejus Pietatis monumenta.

In Hiſpania Eccleſiam, & contiguum illi Cœnobium in honorem S. Blaſii Martyris erexit, illudque annuis redditibus ditatum Canonicis Regularibus S. Auguſtini conceſſit. Enſem, quo à cervicibus S. Paulo Apoſtolo Romæ caput amputatum eſt, Eccleſiæ Toletanæ dono dedit. Ædem S. Franciſco Seraphico Aſiſiſij ſacram reſtauravit, tantisque beneficiis Religioſorum illorum familiam proſecutus eſt, ut ſe ipſi ſanctiſſimo ſtatuto obſtrinxerint, ſingulis menſibus quartâ & vigeſimâ quaque die ad juſta ejus animæ in perpetuum celebranda. Quod officium pietatis pari de cauſâ Bononiæ anniverſario ſacro præſtant eidem in æde S. Joannis in monte 25. Auguſti Religioſi viri, qui Divi Auguſtini regulam profitentur. Multa prætereâ vir liberaliſſimus teſtamento in opera pia eroganda reliquit, quæ cum ſpeciatiim enumeret Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, hoc loco, ne longior ſim, repetere ſuperſedi.

Ejus

Ejus meminere cum laude, Theodorus à Niem in innocenio VI. Matthæus Villanus l. 3. c. 80. usque ad finem historiae suæ. Auctor Historiæ Linguae Romanensis, Joannes Gemefius Sepulveda in Vita. Parvinius de Rom. Pontif. Antonius Sanderus in Elogiis Cardin. Julius Roscius in Elogiis militaribus. Henricus Albi in Elogiis Cardinal. Scipio Ammirat. in historia Florentina. Raynaldus Bzovius & Spondanus in Annal. Ecclesiasticis. Victorellus, Ughellius, & Oldoinus in addit. ad Ciacon. aliiq. quamplurimi.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

PASTORE DE SARESTUDIO
S. R. E. CARDINALE.

PASTOR de Sarestudio (quem alii de Albenaco à Monasterio, in quo educatus est, & ab urbe sui natalis cognominant) natione Gallus, Ordinis Minorum, Doctor Theologus Parisiensis. Is ob vitæ probitatem, rerum insignem experientiam, eruditionem, & prudentiam abs sui ordinis Alumnis Magister Provinciæ electus, cum se tali ministerio, ex innata animi demissione, indignum reputaret, noluit eorum suffragiis assentiri. Eapropter à multis veluti vir solidæ virtutis apud Pontificem laudatus, dignusque qui ad altiora conscenderet, judicatus, sub annum salutis 1337. in cathedram Assisiatem, opportunè tum vacantem, Decreto Pontificio, reluctans licèt, sufficitur.

L.
Ex humilitate Ordinis sui dignitatē recusans Episcopus Assisii constituitur.

In Italiam igitur administrandi causâ Episcopatus proficiscenti, Benedictus XI. dictus XII. inter alia potissimum hoc in mandatis dedit, uti ad preces Sanctiæ Reginæ Siciliae viginti sorores discretas, quæ provectæ ætatis, probatæque conversationis essent, ex Monasterio Provinciæ Neapolim ad regium Corporis Christi Cœnobium eo fine transferret, ut adolescentiores quasdam inibi Deo devotas Virgines, disciplinis & institutis regularibus probè informarent.

Moniales ad informandas sacratas Deo puellas Neapolim mittit.

Perfunctus hoc negotio, ne commissâ sibi Sedes ex diuturniori absentia dispendium aliquod pateretur, Assisium se contulit, ubi aliquamdiu commoratus dignitatem suam summa cum laude, ex commodo gregis integerimè administravit. Verùm cum postea gravissimis expediendis negotiis, ejus operâ Pontifex uti vellet, Assisio illum in Galliam revocavit, pauloque post (quò prior sibi ad manus esset) ad Archiepiscopatum Ebredunensem transfuit.

Archiepiscopus Ebredunensis, ac paulò post Cardinalis renunciatur.

Erepto è vivis Benedicto, Clemens VI. Prædecessoris sui circa Pastorem benevolentiam æmulatus, eundem, urgentibus meritis, Presbyteris Cardinalibus titulò SS. Marcellini & Petri adjunxit: uti constat ex literis pontificiis, paucis à creatione diebus, Decimo nimirum Kalendas Januarii 1342. ad ipsum datis: quarum hic tenor:

CLEMENS &C. DILECTO FILIO PASTORI,
Tituli SS. Marcellini & Petri Presbytero Cardinali.

Nuper propter clara virtutum tuarum insignia, & grandium tuorum excellentiam meritorum, aliâq. dona, quibus te Dominus insignivit, ad supportandum nobiscum & cum fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, universalis Ecclesie onus, te olim Archiepiscopum Ebredunensem à vinculo, quo Ebredunensi Ecclesie, cui tunc præeras, tenebaris, de Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, in S.R.E. Cardinalem presbyterum auctoritate Apostolica duximus assumendum &c.

Legatur in Galliam ad eximendos aliquot è custodia præsules.

Illi vixdum ad Purpuram assumpto, uti etiam Guillelmo Carnotensi Episcopo legatio ad Philippum Galliarum Regem commissa super liberandis Petro Cardinale S. Clementis, aliisque Præfibus & eorum familiaribus, quos Rex injustâ planè & sacrilegâ custodia detinebat; & super revocandis & rescindendis iis, quæ Rex adversus Ecclesiæ auctoritatem & immunitatem perperam sanxerat. Ut verò exasperatum Regis animum emolliret Pastor, longo eum tempore Parisiis immorari oportuit: qui tandem cooperante, & sollicitè interveniente Joannâ Reginâ ad optata pervenit, antiquatis, quæ adversus Ecclesiam erant, regis actibus, assertisque in libertatem viris Ecclesiasticis. Hujus Legationis instrumentum habetur in Registro Clementis VI. in Bibliotheca Vaticana asservato.

Scripta ejus, & obitus.

Scriptis vir doctissimus inter alia egregium Volumen
De Gestis suo tempore in Ecclesia memorabilibus.
Commentaria in libros Regum.
In Psalterium.
In Evangelia.
Sermones de Tempore.
Multaque alia in sacros ac prophanos libros.

Obiit plenus meritorum Avenione die undecima Octobris anno salutis humanæ 1356. uti monumenta Vaticana testantur: ibidem ad Minores tumulatus.

Ejus memoriam celebrant Lucas Waddingus in Annal. Min. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Frizonius in Gall. purp. Aubery in Vita. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Eisengrenius. Nomenclator Cardinalium. Gaspar Jongell. in Elogiis Cardinalium Ord. Min. Necrologium Minorum Avenionensium. Aliiâq.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

JOANNE MORLANDINO S.R.E. CARDINALE.

LI.

JOANNES Morlandinus, vel (ut aliis placet) Molendinus, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, Clementis VI. nepos ex sorore, à teneris annis sacro Divi Dominici Ordini in Cœnobio Brivienti Tolosanæ Provinciæ nomen dedit. Omni virtutum & lite,

& literarum genere excultus, laureaque Magistrali donatus, pluries instituti sui sodalibus Peripateticorum principem Aristotelem explanavit. Doctor deinde Theologus, hæreticæ pravitatis Inquisitoris munere Tolosæ functus est. Demùm ob præstantes animi dotes, ac singularem regularis vitæ integritatem & observantiam, omnium suffragiis vigesimus sui Ordinis Magister Generalis, in Comitiiis Barcinone sub annum Domini 1349. coactis, suffectus est in locum Guerrini de Gracò Galli; eique præfuit mirâ vitæ morumque innocentiam biennium.

*In Cœnobio
Brivienfi A-
ristotelem in-
terpretatur,
& paulò post
Ordinis to-
tius Genera-
lis eligitur.*

Cùm autem esset Theologicis disciplinis apprimè instructus, Gerardi Cardinalis operâ, cui maximâ necessitudine conjunctus erat, Lector, seu Magister sacri Palatii primò; mox presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ à Clemente patruo absens, dum Gallici Regni Cœnobia sibi commissa perlustraret, renunciatus est. Post Clementis obitum, Innocentio VI. viro doctissimo, justitiæ & æquitatis gloriâ illustri suffragatus est in Comitiiis Apostolicis, contra quosdam laxioris habenæ Cardinales, qui privati commodi illecebrâ deliniti, eo præterito, Gallum quendam minùs severum, sibi que & Regi magis studentem ad thiam provectum ambiebant: unde iis odiosus redditus, non semel convitia & incommoda sufferre habuit, quæ tamen omnia vir Deo & Ecclesiæ consulens, æquo libenti que animo ad mortem usque pertulit.

*Cardinalis
creatur.*

*Conscientiæ
& æquitati
studens, mul-
ta incommo-
dâ pati-
tur.*

Scriptit de Reparatione Lapsi.

De Mundi Contemptu.

De Disciplina monastica.

Commentaria in Libros Aristotelis.

Tractatum item insignem de sanguine Christi, contra quosdam Auctores Hispanos, contendentes temerè, *Sanguinem Christi in cruce pro mundi pretio effusum, cultu latria non esse adorandum.* Consulatur Spondanus ad annum Christi 1352. n. 9.

*Scripta ejus,
& obitus.*

Migravit ad Superos sine beato Avenione die 23. Februarij anno salutis 1353. ut probat ex libro obligationum Felix Contelorius contra Ciaconium aliosque ejus sequaces, mortem ejus ad annum 1358. prorogantes. Sepultus est apud Patres Dominicanos Avenione, quos, dum viveret, multis affecerat beneficiis.

Ejus meminere Panvinius in Vitis Pontificum. Lucas Waddingus in Ann. Min. Contelorius in Elencho Cardinalium. Petrus Frizonius in Gall. purp. Aubery in Vita. S. Antoninus p. 3. t. 23. cap. 11. Auctor Vitæ Clementis VI. apud Bosquetum. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

NICOLAO CAPOCCIO

S. R. E. CARDINALE.

Bbb 2

NICO.

LII.

Perusii Juris prudentiæ operam navans, à Baldo Juris peritissimus vocatur.

Variis Ecclesiasticis dignitatibus insignitus Cardinalis efficitur.

Legationis munere ad pacificandos Gallia & Angliæ Reges fungitur.

A pluribus sacris ædificiis, & pietatis operibus posteritati commendatur.

NICOLAUS Capoccius, nobilis Romanus, de Regione montium, Honorii IV. ab, nepos ex latere Pernæ matris de S. Alberto, quæ fuerat filia Isabella sororis ejusdem Honorii. Is à primordio ætatis suæ singularis ingenii acuminè & præstantia præditus, à Joanne patre viro clarissimo Perusium, celebrem Italiæ urbem, Jurisprudentiæ sub consultissimis Baldo & Bartholo operam daturus mittitur. Illic annum agens undevigesimum, ingenii facilitate æquales longè prætervectus, summo cum plausu Laureâ Doctoratûs insignitur: ex quò tantam in Jure peritiam præ se tulit, ut *Venerabilis, & in Jure peritissimus* ab eodem Baldô nuncupari meruerit. Hinc omnium gravissimorum munerum capax effectus, à Joanne Francorum Rege supremus Galliæ Cancellarius (ut scribunt Ciaconius & Floravantes Martinellus) creatur. Cumque indefessos pro Ecclesia Romana labores, agonesque contra Imperatorem Ludovicum Bavarum, ejusque sequaces Pontifici rebelles suscepisset, meritò in eum collata sunt plurima magnarum dignitatum Sacerdotia. Et primò quidem Præpositura S. Aude-mari in Gallia, quam tribus erectis, dotatisque capellaniis adauxit: deinde Præpositura Valentia, & Præpositura Devandien-sis in Insula Holandiæ: Prioratus item S. Quintini in Gallia, tum Archiepiscopatus Herbipolensis in Germania. Quas dignitates subsecutus est Episcopatus Urgellensis in Hispania Tarraconensi.

His insignitus honoribus, ac omni jam propè laude cumulat-us Capoccius, veluti quibusdam gradibus ad dudum promeritam purpuram, promovente Clemente VI. Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis seu Vestinæ ascendit anno salutis 1350. Auctus deinde ab Innocentio VI. Episcopatu Tusculano, legationis munere functus est in Gallia unà cum Talairando Episcopo Albano circa salutis annum 1356. ad Joannem Francorum & Eduardum Anglorum Reges pacandos, qui funesto inter se bello collisi, multarum cædium ac calamitatum auctores extiterunt. Nihil tamen, licet æquissimas pacis condiciones proponeret, apud præferocem Joannem, ad salutaria consilia prorsus absurdescentem, impetrare potuit. Quare in ita paulò post temerè pugnâ superatus ipse, captusque Anglis Victoribus in prædam cessit, omni pænè Gallorum nobilitate ad interneccionem cæsâ: quemadmodum supra n. 37. in Talairando diximus.

Redux in Galliis Capoccius, piis intentus operibus nobilissimum Perusii Collegium (veteris Sapientiæ titulo nuncupatum) pro quadraginta Juvenibus alendis, ac in omni cujuslibet literaturæ disciplina instituendis, proprio sumptu, à fundamentis erexit: quibus saluberrimus ipse constitutiones ac regulas, in perpetuum sub juramenti vinculo observandas præscripsit: pro ut ex veteri monumento ac tabulis testamenti, ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium relatis perspicuè liquet.

Celebre quoque Monasterium Perusio proximum unà cum Ecclesia Deiparæ Virgini sacrâ in Montemurcino ex ædificavit, quod opimis redditibus dotatum, auctumque variis largitionibus,
Mona-

Monachis Albis Congregationis Montis - Oliveti perpetuò incolendum concessit. Cœnobium etiam & Ecclesiam sub invocatione S. Julianæ Virginis & Martyris suo ære construxisse Nicolaum Capoccium Perusii pro Monialibus S. Benedicti, Ordinis Olivetani, auctor est Floravantes Martinellus in additionibus ad Ciaconium. At ex Tabulis ejusdem Cœnobii exploratum est, ante annos circiter centum Monasterium illud erectum fuisse liberalitate Joannis de Toletio Angli, uti videre est in nostra Purpura docta Libro primo. num. 81.

Romæ in Exquiliis in Ecclesia Liberiana egregium pariter Sacellum D. Martyri Laurentio dicatum erexit & exornavit Capoccius : in qua etiam Basilicâ Collegium duodecim Sacerdotum Sæcularium maximo sumptu erigi mandavit, qui præter solemne sacrum, quotidie celebrandum, tenerentur divinis laudibus cum Capitulo ejusdem Basilicæ decantandis semper interesse, in hunc finem annuos illis redditus, ac ædes proprias ad collegialiter vivendum assignavit. Postrema hæc optimi Cardinalis voluntas inconcussa, & inviolata permansit ab anno 1374. usque ad annum 1568. quo anno Sacelli titulis (nescio qua conscientia) suppressis, & amotis Ministris Pius IV. Pontif. Max. quatuor Beneficiatos instituit, ad majorem, ut ipse asserbat, dictæ Ecclesiæ decorem : & tandem (juxta rerum omnium vicissitudinem) in Burghesianæ Cappellæ ædificatione Sacellum ipsum, ac ipsam plurium Sæculorum pernobilem Capocciorum familiam anno 1620. Vincentio Capoccio, ultimo ejus gentis furculo extincto, ad suum occasum tractam indoluit Roma universa.

Fatis concessit Nicolaus Cardinalis die 24. Julii anno 1368. non in Castro-Verucæ, ut malè quidam cum errante Ciaconio opinati sunt, sed in Monte-Flasconio, ubi tum cum Urbano V. declinandi æstus, clementiorisque aëris colligendi causâ agebat. Corpus ejus (uti decedens jusserat) Romam ad Basilicam Liberianam delatum, ibidem in Sacello D. Laurentii à se constructo honorificè (adjectis etiam Elogiis, à Paulo de Angelis in descriptione ejusdem Basilicæ relatis) sepultum fuit. Erat Capoccius vir magnæ virtutis & doctrinæ, multisque in Rempublicam Christianam meritis insignis, opulentus & liberalis, sed præcipuè in pauperes munificus, quibus ingentem auri summam decedens legaverat.

Ejus memoriam Anonymus Auctor Vitæ Urbani V. apud Bosquetum his verbis posteritati commendat : Anno 1368. die 26. mensis Julii obiit in Monteflasconis Dominus Nicolaus de Capoccio, Episcopus Tusculanus Cardinalis, Romanus, vir magnæ literaturæ, zelator justitiæ maximus, pauperum continuus sustentator, diebus enim singulis per hospitalia panem & vinum, & alia cibaria in domo sua preparata abundanter faciebat distribui, & pauperibus in Christi nomine ministrari. Ultra hæc de ipso duo laudabilia notanter referuntur : primò quòd in Consistoriis publicis & Conciliis sic liberè & intrepidè locutus est, quòd propter neminem, sive præsentem, sive absentem emisserit dicere illud, quòd sua sibi conscientia dictabat. Secundò cum esset valdè practicus in decisione & prosecutione causarum, amore DEI & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos sciebat justas fovere causas, consilia da-

Moritur in Monte Flascionis.

Ejus præclarum elogium

bat, eorum processus perlustrabat, positiones & articulos, & alia ad hoc eis opportuna dictabat, formabat & ordinabat. Salaria etiam Notariorum, Procuratorum, Advocatorum de proprio ministrabat, & etiam quacunq; victui necessaria videbantur, aut eorum inopia exigebat, largiter effundebat. De Bonis etiam à Deo sibi liberaliter datis Collegia, Ecclesias, Sacella & Monasteria fundabat & dotabat, præcipuè verò multa bona concessit Ecclesie S. Mariae Majoris de Urbe, ubi jacet miraculis coruscando.

Ejus dem
Scripta.

Multa scripsisse fertur ad Jurisprudentiam, cujus peritissimus erat, pertinentia: quæ inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ hodièdum asservantur.

Ejus mentionem faciunt Parvinius in *Vitis Pontif.* Aubery in *Vita.* Floravantes Martinellus in *addit. ad Ciacon.* Matthæus Villanus in *hist. Florent.* Secundus Lancellotus in *Historia Olivetana.* Paulus de Angelis in *Descript. Basilicæ Liberianæ.* Contelorius in *Elencho Cardin.* Hippolytus Marraccius in *purpura Mariana.* Raynaldus in *Amal. Ecclesiast.* & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

MATTHÆO COROZMANNO
S.R.E. CARDINALE.

LIII.

MATTHÆUS Corozmannus, Germanus Athesinus, nobili Corozmannorum Comitum Tyrolensium stirpe oriundus, tantæ probitatis, virtutis, & doctrinæ vir fuit, ut Conradus Decius, de eo agens, dicere non dubitaverit: *Sive enim generis nobilitatem, sive doctrinam, sive prudentiam multo rerum usu instructam, sive virtutes illustri viro dignas, querimus: omnia in Matthæo, Dei concessu, eximia deprehendemus.* Ob egregias hæc animi dotes ad Infulam Brixinensem assumptus, summa cum laude, rerumque emolumento præfuit usque ad annum 1350. quo virtutum ejus famâ ad Apostolicam Curiam penetrante, à Clemente VI. (hominis æstimate maximo) absens inter S. R. E. Cardinales adscriptus est. Cui tamen dignitati Matthæum, sua jam forte contentum, humili modestia, raroque exemplo, renunciassè; nec unquam Cardinalitio titulo usum fuissè Auctor est Viciguelus Hundensis in *Historia Metropolitana Salisburgenfi*, cui etiam subscribit & assentitur Ugheilius in additionibus ad *Ciaconium*.

Ob insignes
animi dotes
Episcopus
Brixinensis,
& Cardinalis
efficitur.

Cardinalatu
renunciat.

Pastoralizelo
commissogregi
in vigilat;
reformatio-
nem morum
instituit.

Dimisso itaque Cardinalatu omne studium suum & operam contulit ad reformandam, beneque moderandam Dioccesim suam, quam in exordio suæ assumptionis, tum Ecclesiasticorum luxu, tum Magistratuum oscitantia, culpabilem in multis, labefactatam, ac vitiis plurimis scatentem invenerat. Ne verò aliis emendandis æquò rigorosior, sibi remissus videretur, à se ipso, tanquam capite, rem exorsus, familiam suam omnem ad certum, & non nisi necessarium numerum, rejectis superfluis, maximè vitiosis, redegit: nec nisi

nisi probatissimos deinceps viros scientiâ & moribus præstantes domi habere voluit. Utque idem animarum Rectores, plebisque Magistratus, se præeunte, efficerent, acri promulgatô edictô iussit: dicebat enim, *suam & Clericorum vitam aliis & exemplo & incitamento ad castè, sobriè, vivendum esse debere.*

Perlustravit deinde vigili circumspectione universam Diocesim, singulasque Rectorum Paræcias, & Tribunalia Magistratum: qua occasione, coactâ Synodô saluberrimas, utrique statui convenientes, edidit leges: quibus illud præprimis curavit, ut in eligendis Magistratibus, & animarum Pastoribus, ii, quorum interest, non quàm dives, aut nobilis; sed quàm eruditus, virtuosus, & inculpabilis quis esset, rationem haberent. Homines ad sacra admittendos non de censu, vel stemate, sed de virtute, doctrinâ, & pietate censerî oportere; rerum humanarum contemptores recipi, cupidus expelli debere asserens. Quibus Christi & Apostolorum vita & vestigia cordi essent, iis Ecclesiarum curam committendam; è contrariò quos aut luxus, aut opes delectant, hos arcendos à sacris, & veluti salem infatuatum ab Ecclesiæ promptuariis projiciendos esse. Apostoli Regulam proponens, & inculcans: *qui non laborat, non manducet: qui non abstinet à luxu atque illicitis, Ecclesiarum census ne accipiat.* Constituit etiam ut omnes Parochi, Decani, Præpositi, & qui beneficia Ecclesiastica quocunque titulo possiderent (nisi rationabili de causâ absentes essent) ad Ecclesias suas sub privationis pœna proficiscerentur; gregi suo, fideli & vigilantî oculo assisterent, quotidiana pro iis Deo sacrificia offerrent; verbo divino, sacramentorum administratione, bonorum operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternè gererent: *cognita enim ei, ac cordi erat Pastorum spiritualium obligatio (inquit Auctor vitæ ejus) sciens divino jure preceptum iis esse, ne à grege sibi concredito discedant, sed ut eum pascant verbo, regant exemplo, medicina spirituali juvent, potestate à lupis tueantur.*

Cùm verò circa annum salutis 1361. (Bzovius habet 1354.) ad instantes Caroli IV. Imp. preces Festum Lanceæ & clavorum, quibus DEI Filius in cruce transfixus fuerat, ab Innocentio VI. Pontif. Max. solemnî ritu ad dignè concelebranda sacra hæc pignora, institutum esset: Matthæus in eadem Dominicæ Passionis instrumenta mirè affectus, piam ejusmodi solemnitatem in suam quoque Diocesim introduxit; ac ut quotannis Feria Sexta post Octavam Dominicæ Resurrectionis concelebraretur, edictô mandavit. Cùmque super ea re, tanquam novâ & inusitatâ, multorum obloquutiones, (fortassè Hæreticorum) audirentur; imò & dictèria minimè toleranda in vulgus spargerentur, quibus devotio hæc, veluti supersticiosa & idololatrica traducebatur, Matthæus insanis ejusmodi conatibus, & suggestionibus occursurus, convocatô pro concione populô, piissimum institutum virili oratione è suggestu tutatus est; egrediens: *Quemadmodum Dominica crucis celebritates sapientissimè à majoribus instituta & introducta essent; sic & lanceæ & clavorum festivitatem rectè institui potuisse, ac fidelium pietati commendari: sanctitatem enim ex Dominicæ Corporis contactu hausisse instrumenta passionis, religionem verò, cul-*

In hunc finem Synodum cogit, ac Salubria statuta edit.

Festum Lanceæ & Clavorum ab Innocentio VI. institutum, in suam Diocesim introducit.

Quam introductionem egregiè adversus obloquutores pro concione propugnat.

tum,

rum, atque honorem non in ipsis quiescere instrumentis, sed ad prototypum, Christum scilicet ipsum referri ac transire: Beneficiorum Christi memoriam solemnitatibus ejusmodi recoli à fidelibus, ne ingrata temporis decursu, eorum subrepat oblivio: Aliaque id genus plura in medium attulit, quibus non tam adversariorum calumnias infregit, quam (quòd maximè optabat) fidelium mentes ad ea dignè recolenda mirificè incendit.

Ludum alearum, & taxillorum interdicit.

Rei etiam Christianæ consulturus, pastoralia studia ad tollendos abusus, qui passim Curatorum ac Magistratum oscitantia irreperant, contulit: ac præcipuè infamem alearum & taxillorum ludum, cui lusores intemperantiùs dediti, non rarò ex præcipiti animorum motu in blasphemias voces prorumpere solent, interdixit.

Adeleidis Casimiri Poloniæ Regis Uxoris pulsæ causam suscipit, recognoscit, & defendit.

Cùm verò ea tempestate Casimirus Poloniæ Rex Adeleidem Hassiacam uxorem Reginam, feminam non minùs formæ venustate, quàm pietate commendabilem, cujusdam pellicis consuetudine & amore irretitus, thorò eiecisset: Regina detestabili facinore commota Romanum Pontificem interpellavit, qui causæ cognitionem Ægidio Cardinali, & Matthæo Episcopo committens, cùm eos exploratione pro Judicio factâ, à Regina stare comperisset; Casimirum, ut Adeleidem, pulsâ adulterâ, quæ Judæa erat, reciperet sub anathematis pœna commonuit. Rex intentatas censurarum minas flocci faciens, retenta pellice, sub annum salutis 1370. dum venationem exerceret, equi lapsu ad tempora percussus, in execratione interiit.

Obitus ejus, & Scripta.

Matthæus denique præclaris toto vitæ decursu operibus functus, meritisque ob Episcopatum sanctè administratum cumulatus, mortalitatis compede solutus est die 30. Junii, anni 1369. sepultus in Ecclesia principe Brixinensi. Edidit sermones aliquot valde utiles & elegantes, Decreta item saluberrima ad Cleri, populi que reformationem spectantia: aliaque nonnulla, quæ temporum injuriis deperdita sunt.

Bertholdus Niger Franciscanus bombardarum & pulveris pyrii inventor.

Floruisse hoc tempore, nimirum anno salutis 1366. Fr. Bertholdum Nigrum professione Franciscanum, (qui ante ordinis ingressum Constantinus Ancklitzen vocabatur) Matthæo nostro contemporaneum & familiarem scribunt probati Auctores. Is patriâ Friburgensis Brisgoius pulveris pyrii & tuborum ignivomorum, seu bombardarum, ut vocant, primus parens & inventor fuit. Nam cùm studio Philosophiæ juxtà ac Chymiciæ sedulam aliquamdiu navâset operam, ex earumque principiis didicisset; *Duo corpora in eodem loco simul & semel esse non posse, neque vacuum in rerum natura admitti: præterea quòd ignis levius elementum majus sibi spatium vendicaret quàm terrâ, & quòd omnia ex elementis mixta corpora in ignem redigantur &c.* Hæc omnia ab Aristotele & aliis naturæ scrutatoribus proposita, ipse experimento factò clariùs perspicere volens, ollæ aereæ undique circumseptæ & obstructæ sulphur & nitri pulverem imposuit, ignemque beneficio tubuli adjecit. Quo factò cùm materia ignem excepisset, naturali ratione olla frangitur, atque ignis & fumus ingenti sonitu instar tonitruum in aërem spargitur, tanquam in locum apertum & patentem, indicium futuri bellici instrumenti exhi-

exhibens. Eo viso Bertholdus delectatus, pulverem bombardicum pari ratione conficere cœpit. Sciebat autem contraria contrariis expelli, & frigidum atque calidum in extremis summè esse contraria. Itaque ex nitro, sive salpetra & sulphure benè contritis pulverem confecit, & carbones nigredinis ergò adjecit. Hoc pulvere arborum truncos disjecit, atque lapides & globos miræ magnitudinis ex concavis & obstructis machinis instar fulminis ejecit. Hac ratione inventis inventa addens, primò machinas ligneas, exinde ferreas atque æneas confecit, easque ex terribili & hætenus inaudito sonitu Bombardas vocavit, ex quibus globos lapideos, ferreos & plumbeos ejaculatus, ostendit pernicioso ingenio, quomodo homines, muri, arces, urbes, & fortissima quæq; munimenta tanquam fulmine icæta prosternerentur. Supervenère postea alii atq; alii in dies artifices, qui id inventum suâ industriâ maximoperè auxerunt: magno fortitudinis & virtutis humanæ detrimento. Hæc in gratiam lectoris, quia scitu non indigna, hoc loco referre placuit. Primos omnium hoc instrumento usos esse Venetos in bello contra Genuenses Anno Christi 1380. observat Salmuthius in commentario rerum memorabilem Pancirolli *parte 2. tit. 18.* de quo invento extat nobile illud carmen cuidam Bombardæ inscriptum:

*Vis, sonitus, rabies, motus, furor, impetus, ardor,
Sunt mecum. Mars hæc ferreus arma timet.*

Matthæi Cardinalis mentionem faciunt Viciguellus Hundensis in Historia Metropolitana Salisburgensi. Cathalogus Episcoporum Brixinensium. Ferdinandus Ugbellius & Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciacon.

*Veneti primi
omnium hoc
usi sunt.*

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAX.

De

DOMINICO SERRANO

S. R. E. CARDINALE.

DOMINICUS Serranus, natione Gallus, patria Tolosanus, Dominici Serrani & Franciscæ Collers, nobilium conjugum nobilis filius, Parisiis strenuam utriusque Juri operam dedit. Doctorali laureâ ornatus, publicè in eadem Academia omnium plausu Decreta adhuc juvenis explicuit, tanto quidem judicio & maturitate, ut nemo non senilem in juvene prudentiam admiraretur. LIV.

Quadragenarius mundi caducitatem ex rebus perituris relinquens, abdicatâ Parisiensi cathedrâ, divino se famulatu in sacro B. Mariæ de mercede redemptionis captivorum ordine devovit. Igitur ex præceptore humilis discipulus factus, tyrocinium Barcinone in Hispania posuit: quo ritè confecto ad redimendos juxta ordinis institutum captivos, pluries diversis, iisque periculi plenis se se itineribus commisit. Maximo in honore fuit apud Robertum Neapolitanum, Ordinem B. M. V. de mercede ingreditur & Magister General. Ordinis eligitur.

Ccc

litanum,

litanum, Petrum Arragonium, & Alphonsum Castellanicum Reges, qui ipsum sæpè sæpius ad sua consilia vocatum, difficillimis expediendis Regni negotiis, non vano studio adhibuerunt.

A Clemente VI. purpura ornatur, sed mox moritur

Sexagenario major sub annum salutis 1345. omnium suffragiis in Magistrum generalem numero undecimum Barcinone electus, familiam suam propè triennium sanctissimè moderatus est. Exinde à Clemente VI. in numerum Cardinalium relatus, tituloque SS. quatuor Coronatorum adscriptus paulò post adeptam purpuræ dignitatem in Montepessulano pestilentia interiit die 9. Julij anno à partu virgineo 1348. altero à Cardinalatu mense nondum exacto. Ibidem magno omnium luctu terræ mandatus.

Ejus Scripta.

Scriptit Librum de sententia matura deliberatione dandâ.
Tractatum super legem Corneliam de Beneficiis.
Aliaque nonnulla jurisprudentiam concernentia.

De eo agunt Silvester Marulus in Mari Oceano. Carolus de Tappia de religiosis rebus. Stephanus Corbera in Vita B. Mariæ de Soccas. Alphonsus Remondus in Chronico Ordinis. Bernardus de Vargas in Chronico. Alij, Ordinis sui Historici.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO FARINERIO

S. R. E. CARDINALE.

LV.

GUILLELMUS Farinerius, Gallus, dictus de Gourdonio, quòd in Monasterio Gourdonensi Diœcesis Carducensis, Ordinis Seraphici institutum professus & amplexus esset. Is ob excellentis ingenii acumen Tolosam studiorum causâ missus, sub Jordani Curti, nominatissimi Minorum Theologiæ Doctoris disciplinâ tantùm brevi tempore in facultate Theologica profecit, ut & Lauream doctoralem juxta ac Cathedram magistralem fuerit assecutus. Tolosâ elapsis aliquot annis Gourdonium revocatus, Minister primò Provinciæ Aquitanicæ; deinde totius Ordinis Generalis vigesimus electus est Veronæ in Conventu Patrum numerosissimò anno salutis 1348. Præfuit Seraphicæ familiæ summa cum laude ac vitæ integritate annis novem cum dimidio. Successit Fortanerio Vafello Aquitano (de quo vide infra n. 57.) ad Archiepiscopum Ravennatensem tum assumpto, ac statuta Divi Bonaventuræ, ejusdem instituti olim Generalis sanctissimi, lapsu temporum infirmata ad vigorem pristinum revocavit; omnibusque deinceps adamussim observanda præcepit.

Minister Generalis totius Ordinis Seraphici eligitur

Cardinalatu postmodùm anno salutis 1356. ab Innocentio VI. decoratus, titulum presbyteralem SS. Petri & Marcellini obtinuit, annoque uno ab adepta purpura decurso, ejusdem Pontificis Legatus